BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Lipsius, Justus

Epistolarum selectarum centuria ... miscellanea

Bd.: 4

Antverpiae 1607

4 Epist. 115-4/5
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10352235-1

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.


The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

IVSTI LIPSI

EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA QVARTA MISCELLANEA POSTVMA.

Collegij Societatis Jesu Monachij. 1607.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃC. VII.
Cum Priuilegiis Cæsareo & duorum Regum.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

ILLMO ET REVMO

D. IOANNI ANDREAE PROCHNICIO

EPISCOPO CAMENECENSI, &c.

Magni animi & virtutis viro,

CENTVRIAM *hancce* LIPSIANAM,

Iussus dedicat consecratq;

IOANNES WOVERIVS *Antuerpiensis.*

SI amicitiam, quæ inter te, ILLME DOMINE, & immortalis memoriæ IVSTVM LIPSIVM fuit, eiúsque principium, progressum, insuper & fructus mecum examino; illud sanè occurrit, mutuam vtriusque pectoris caritatem, in angustum nimis humanæ vitæ momentum incidisse. Imò

poſt periculum credidimus, quàm vici-
næ ingratitudinis neceſſitati, imminentis
fati properantia LIPSIVM incluſerat;
cùm non aliter viuus cum beneficiis tuis
paria facere potuerit, niſi vt mortuus præ-
ſtaret. Sanè ego proximus, & quem qua-
ſi initiatum amoris veſtri ſacra non exclu-
derent, ſcio; cùm antea vitæ & cunctis
hiſce mortalibus repudium conſtanter
dixiſſet LIPSIVS, prætimuiſſe tantùm,
ne cum BENEFICENTIA PROCH-
NICIANA ſibi viuendi ſpatium deeſſet.
Talis enim iſta fuit, tantóque impetu iam
ſecurum vicinâ libertate ſenem inunda-
uerat; vt, ſi callidè mentem tuam produ-
cere nobis liceat, iudicemus, te cum ab-
eunte tunc LIPSIO feſtinaſſe. Verùm,
non aliter quàm vehi ſuetos vel mini-
mum grauare pondus ſolet, ire ſi cogan-
tur; ita ſarcinæ quoque huius inſolentia,

omnes

omnes ſolitum adficere benefactis, onerabat. Vindicare ſe igitur conſtituit, & Sapientiæ ſuæ memor, ne inteſtatus vno die viueret, ſic cum gratitudine tranſegit:

Iamnunc parata eſt Centuria Epiſtolarum ſelecta, quam, ſi quid mihi continget, in arcâ meâ reperies, à te edendam, & ILL^MO PROCHNICIO *ex meâ deſtinatione inſcribendam. O virum ab aureo æuo! In Præfatione* DIC, *quæ ego deberem.*

Dicam, nec verbis tuis, VIR SVMME OMNISQVE NVNC PARTICEPS AETERNITATIS, ſed exemplo; te ingratitudinis vel ſupremum ſuperaſſe ingenium, dum nec mortem beneficijs opponis, nec vulgi iudicio vteris, deſinentium vota quod maximis meritis æquiparare ſolet. Meritò ſpreuit, ILL^ME, magnus ille animus omne erga benefacta artificium; ne vel ſic quidem, obſtrictum ſibi humani generis nomen, vnius priuati debiti compenſatione laxaret.

Itaque hac conſcientiâ quoque lætus deceſſit; &, augurari vti licet, inter ingenij ſcientiæque bona numerauit, neminem hiſce inſtructum mori ingratum. Nam temporibus moribúſque noſtris ignotam liberalitatis tuæ induſtriam, quâ denique defunctum ſuperaſti, quî proſpicere potuit? Reliquias, (ô pietatem!) & iam ſepulti amici oſſa, marmoreo condere cippo fruſtrà conatus, in cælum, vt ſic dicam, excurris; & iacenti proximam, DIVAE QVE MATRI ſacratam aram, ſumptibus tuis decorari iubes, vt, quod mortuo impendere non potuiſti, diuina reciperent. Stabit cum ſæculis monumentum; & ab ipſâ Sarmatiâ auro imbutum PROCHNICI nomen, vt viuentis LIPSI amoribus permixtum, ita ſepulti quaſi cum cineribus conditum, futura tempora venerabuntur; omníſque ætas

teſta-

teſtabitur, dignum te fuiſſe, quicum immortalis ingenij ſtudia definerent. Sed & dignus tu eras, cui mens tam inclyta abſq. fortunâ contigiſſet: nunc dum regale decus maiores tuos illuſtrat, altáque ab origine per Duces de Bybel deriuatus in te ſanguis natales inſtruit; quod neſcienti collatum, etiam virtutibus præſcribitur. Ecce benignitatem ſortis tuæ accuſare malo, quàm exclamare, ô virum fortunâ ſuâ dignum! Sæculi me indignitas impellit; contra quam teſtari numquam deſinam, quantum ſupra fortunæ corporíſque bona, animi virtutes emineant. Nam pænè ceterorum mortalium dum prima tibi vota vltrò obueniſſe conqueror, ſimul adfirmo, propriâ ſic luce te exſplendeſcere, vt talem fortunam facere potuiſſes, niſi accepiſſes. Olim inter Principes fuit, qui par imperio videbatur, niſi

imperaſſet. Nos inuidiæ fatorum obijcimus, ideò ſceptrum maioribus tuis perfidiâ ereptum, ne tu digniſſimus regnares. illis enim te imputare malo, quàm ipſorum facta pro virtutibus tuis narrare: quod ijs ſufficit, quibus nobilitatis ſatis magnum præſidium, languens vita atque ignobile eſt otium. Contrà, te ad verum decus nitentem, ingenij cultus, illáque ſtudia exceperunt, à quibus facilis in omnes dignitates decurſus eſt. Denique vt nihil niſi ſummum eligeres, ſacra placuere; ſanctíſque altaribus purum admouiſti ſacerdotem. Qui cùm infra dignationem titulus non eſſet, tamen ita totius Poloniæ ſuffragijs certatum eſt, vt paſſim ſpes ſuas ambitione donarent, nec fauentium aliter vota declinare poſſes, niſi peregrinatione te eriperes. Sed numquam Virtus ſe deſerit; & huius corporis

poris quaſi opacitatem, boni nominis fama, tanquam vmbra, ſemper conſequitur. Italiam elegeras, & in eâ Romam, Reginam orbis. Sed & ibi popularium tuorum te cura ſequitur, Sereniſſimíque Regis fauor inuenit; vt quem Cracouienſis Eccleſiæ clero præpoſuerat, Regni Neapolis legatione ornaret. Quo in munere, an fidem, induſtriam, proſpicientiam; an magis cum ſummis æquabilitatem, cum paribus humanitatem, erga inferiores munificentiam, hîc perſtringam? Iniuria virtutum ſit, coarctare famam; & dignam annalibus memoriam, vnius paginæ anguſtijs ſtrãgulare. Te vel ideò, quia vitare ſoles, ſequentur præconia; neque æternitas magis deerit virtuti tuæ, quàm nunc dignitas. Cui grande augmentum vti CAMENECENSES Infulæ nuper attulere; ita tamen ad maiora

adhuc

adhuc gradum gratiámque superesse, nos cum beneuolentiâ amici tui contemplamur. Me enim seriò, inter illos serios numero, *quos nec ambitio impotens, nec spes sollicitat lucri*; & qui gratis vti amari possunt, ita colere vicissim. Te modò (cum voto desinam) PRAESVL ILL^ME, magna & potens patria recipiat; SIGISMVNDVS Rex inuictissimus, VLADISLAVS maximi Patris spes, columénque regni, reducem aspiciant: neque antea tecum pariare fortuna desinat, quàm purpuram reddat; si non cum sceptro olim gentí tuæ illatam, sacram saltem, sacratis tuis meritis debitam.

INDEX

INDEX
EPISTOLARVM
CENTVRIÆ QVARTÆ
MISCELLANEÆ.

ABRAHAMO Bibrano Equiti Silesio xciij.
Ægidio Martinio Syndico ciuitatis Bruxellensis. lxxxiij.
Andreæ Chiocco V. C. & Doctori Medico lxvj, xcj.
Andreæ Schonæo I. V. & S. Th. Doctori vij.
Andreæ Schotto Soc. Iesu iiij.
Antonio Richardoto suo xliij.

B.

Balthasari de Zuniga, Legato Regio iij.
Balthasari Moreto suo xxx.
Bartholomæo Leonardo Argensolæ lxv.
Bartholomæo Petro Lintrensi, Doct. Theologo xv.

C.

Carolo Billéo, Consiliario lxxj.
Carolo Clusio xxxvj.
Carolo Duci Croyo & Arschotano lviij, lxiij.
Cornelio Van-dalio lvij
Curtio Pichenæ lxxxvij.

D.

Dionysio Villerio x.
Dominico Baudio lxvij.

E.

Erycio Puteano suo liiij.
Eustathio Wolouiczio V. R. & N. Lithuano xcvij.

F.

Ferdinando de Salinas, Consiliario lxxiij.
Francisco Polæ Ictо lxxxviij.
Francisco Raphelengio suo xxxix.
Francisco Svvertio F. xij, lxx.
Francisco Tregiano, Britanno V. N. lxxvj.

G.

Georgio Vvveno lv.
Gerardo Buyte-vvechio xj, xlvj.
Godefrido Hertelio liij.
Gomesio de Amescua Ictо lxiiij.
Guilielmo Greuio Nepoti suo xl.
Guilielmo Richardoto suo v, xxxiiij.

H.

Hadriano Saisseuallio xxxv.
Henrico Laurentij Spiegelio xviij.
Henrico d'Oultremanno, Senatori xiiij, xx, xxxij, lxxxix.
Henrico van Etten, Præsidi Ærarij Brabantici lj.
Henrico Vvveno Ictо xxiiij, lxix.

Heri-

Heriberto Roſvveyo Soc. Ieſu xlij.

I.

Iacobo Auguſto Thuano, Præſidi xxv.
Iacobo Carondeleto lxi.
Jacobo Reſtæ V. N. ix.
Jano Bernartio ij.
Iano Lernutio lxxxi.
Jirmiæ Pierſſenæo Jcto lxviij.
Ioanni Andreæ Prochnicio Legato Regis Poloniæ xcvi.
Joanni Baptiſtæ Baronio ſuo xxxvij, xlix, lxxiiij.
Ioanni Buchærio Doctori Theologo xiij.
Joanni Buiſſonio Conſiliario l.
Ioanni Hemelario ſuo lxxvij.
Ioanni Moreto xxix.
Ioanni Seurio lx, lxxij, xcv.
Ioanni Vergerio Auraxo lxij, xcij.
Joanni Wouerio ſuo xlv, lix, lxxxij, lxxxiiij, c.
Iulio Cæſari Carocciolo lxxix.

L.

Ludouico Septalio V. C. lvi.
Lupercio Leonardo Argenſolæ xxvj.

M.

M. Antonio Bonciario lxxviij, xc.
Marco Antonio Perezio V. N. xlviij.
Marco Velſero lij, xcviij.
Marquardo Frehero Jcto xlj.
Martino Ant. Delrio Soc. Jeſu xxij.
Maxæmiliano Vignacurtio V. N. xxxiij.
Maxæmiliano Vriendtio j, xvj. lxxv.
Maximiliano Plouuierio [ita legendum, non Ploimierio] xxxv.

N.

Nicolao Montmorencio, Toparchæ Vendeſio xvij.
Nicolao Oudarto xliiij, xcix.
Nunno Mendozæ V. N. & Principi à cubiculis xxvij.

P.

Petro Brachio xciiij.
Petro La-torrio Quintanadueñas xxiij.
Petro Pantino V. R. viij, xix, lxxx.
Petro Peckio Conſiliario xxviij.
Philippo Arenbergio Baroni Seuenbergæ xxxj.
Philippo Boſkhiero, Ordinis D. Franciſci xxj.
Philippo Rubenio ſuo vi. xxxviij.

R.

Remaclo Roberti xlvij.

S.

Sebaſtiano Rolliardo Jcto lxxxvj.

IVSTI

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA IV. MISCELLANEA
POSTVMA.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS MAXAEM. VRIENDTIO S. D.



ARMEN iam alterum à te habeo mi Vriendti, prius de me (in ijs de Cruce) alterum ad me, quod recenter nunc & amanter mittis. Vtrumque mihi à se gratum. quídni à te scriptum, homine elegantiæ & doctrinæ veteris, & qui, cum Lucretio

— *Musæo continguis cuncta lepore?*

sed & ab argumento ea grata, quia aut æstimationem mei habent, aut amorem. Hoc postremum eximiè, & mittis etiam velut parari um amicitiæ inter nos conciliandæ. Ah mi Vriendti, quàm serò, & quàm pęnè frustrà! Nam nolo erres, ego te à primo illo gustu amaui, & certus sum idem mihi à te factum. Conspiratio quædam inter nos est (palàm video) non studiorum tantùm, sed animorum & iudiciorum. Itaque amicitia ipsa iam fuit, sed tectior: reseranda est & in claram lucem mittenda, te nunc inuitante. Fiat cum bono Deo, & Fidium illum inuoco (siue Sancum à sanciendo vocari placet) me sanctæ & veræ Amicitiæ leges tecum culturum, quamdiu in terris his colam. O multa in

ijs triſtia! ô hoc recens acerbum, de fato noſtri Gubernatoris! ſed cùm ſapientiâ iſta mitigantur, tum nonnihil & melle hoc amicitiæ. quod guſtatum reguſtare mihi ſæpè animus, ſi te quoque habeo promptum & volentem. Confido, imò ſcio: & aut neminem in Belgicâ hac noui, aut te ex ſcriptione tuâ (imago ea animi eſt) mi Vriendti. Alligemur: en dextram, cedò tuam. Louanij, XII. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCV.

EPISTOLA II. *Mechliniam.*

IANO BERNARTIO S. D.

DEBEO vltimis tuis reſponſum, fateor, ſi morem communem ſpectem: non debeo, ſi aut valetudinem, aut decretum iam meum. Paria vltrà facere in hoc genere, neque lubet, neque licet. Valetudinem prætexui, & verè: quid ſi occupationes, & interpellationes etiam addam? Iuro tibi amice, mirari ipſum me, cùm dies lapſus eſt, vires aut mentem mihi ad tam varia conſtitiſſe. Sum in hac ſcænâ, & Fama produxit: ſed ego illam deſero, & hanc ſperno, quam tueri per iſta non eſt tanti.

——*Semita certè*
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ:

at virtus in ſecreto etiam eſt, imò contagia iſta vulgi fugit. In Statio te pergere, benè eſt. de loco iſto, in Siluis:

Lib. v. *Omnia nam lætas pila attollentia frondes,*
Multaque fumosâ ſignatur lancea pennâ:

ſeorſum à te ſentio. Nam tu ad ſagittas refers, de quibus Plinius: *Volucre fecimus ferrum, vt citiùs mors ad hominem perueniret*. Non opinor: ne illud quidem, in armamẽtarijs ſignatas ab Abaſcantio, id eſt ſeruatas lanceas veteres, & fumosâ pennâ inſignes. Quę mea mens? Critica. errorem ſcripti arguam, & *Laurea* legam: quod vitij & in Senecæ Conſolatione ad Heluiam olim notabam. Hæret nempe cum priori verſu, imò verſibus, ſententia: & Domitiano blandiens, de more, Statius; Vndique laurus & victoriæ, inquit, ab Euphrate, à Rheno, ab Iſtro: & faſces & pila laureata, lictorum ſiue ſpeculatorum (qui litteras tunc victoriales adferebant) & *multa laurea ſignata nigrâ pennâ, ſiue atramento.* Neque enim aliò, quàm ad epiſtolas victoriæ indices hæc retulerim,

lerim, è prouincijs ſolitas mitti. Hoc placet. tamen in libro meo ſcripto cùm reperiam, *Nullaque fumosâ*: ſuſpicari etiam incidit, an nõ mos fuerit, Speculatorum lanceas in clade aliquâ & re triſti, pennâ atrâ inſigniri, celeritatis ſimul & funeris notam. Enimuerò tale Scholiaſtes vetus ad Iuuenalis verſum:

——— *tamquam & diuerſis partibus orbis* Sat. IIII.
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pennâ.

vbi commentatur: *Anteà ſiquid nuntiabant Conſules in vrbe* (lege *vrbem*) *per epiſtolas nuntiabant. Si victoriæ nuntiabantur, laurus in epiſtolâ fiebatur* (puto, *figebatur:*) *ſi autem aliquid aduerſi, pinna figebatur.* Dixi: iudicabis, & valebis. Louanij, III. Kal. Mart. ∞. IↃ. XCVIII.

EPISTOLA III.

BALTHASARI DE ZVNIGA, *Legato Regio.*

BENEFICIVM eſt meminiſſe te Lipſij, quid appellare & ſcripto alloqui? præſertim in ijs occupationibus, quæ militares & moleſtæ circumſtant, atque vtinam felici mox euentu! Multa ſperare nos hoc iubent, Deus, cauſſa, Principes, Fatum Auſtriacum: ſed tamen ſic produci obſidionem, nec ex voto, nec opinione noſtrâ fuit. Dicam, quod videtur? Vt Teucer ille, apud Homerum, ſub Aiacis clypeo latens Troianos inuadit & interficit: ſic occultos iſti tutores & auxiliares habent, quorum viribus opibusque ſubleuentur. Non neſcitis: ſed tantùm remedium eſt, ſcire non videri: vt nunc quidem eſt ſtatus rerum. Si miles tamen noſter perſeuerat, nec aliquid turbat; confido equidem de vrbe illâ, & ab eâ alijs obtinendis. Sed cura hæc veſtra ſit, quos ad Remp. Deus ille admouit. nos vt nautæ vndis agitati, nõ illas reſpiciunt, ſed in cælũ & aſtra oculos tollunt: ſic inter turbas medias, ab ijs animum abducimus, & ad altiora, certè quietiora, applicamus. Libri & ſcriptiunculæ nos habent. inter iſtas Philoſophia vetus, ordine & breuiter à me explicanda: idque in Senecæ noſtri gratiam, nec tamen ſolius eius vſum. Alij quoque ſcriptores lucem mutuabuntur. Epiſtolæ etiam noſtræ pluſculæ breui diuulgandæ, & videbis, & (quæ tua harum quoque rerum peritia eſt) cenſebis. Illme Domine ſaluum te breui, & publi-

ca vota in tuto exſpectamus, & cum ſuſpirio optamus. Louanij, v. Kal. anni noui ∞. IↃCI. quem feliciter ordire & decurre. Ciceronis locus, de quo quæris, ſententiam habet, Duillium non contentum vnius diei triumpho, imaginem aliquam & inſtar eius vſurpaſſe in vitam reliquam: idque in publico, cùm à cœnâ rediret, *cereo funali* (ſic in Cicerone lego) *& tibicine præeunte*. Idem Valerius lib. III. cap. VI. Flor. II. cap. II. & Silius, in his verſibus:

Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacerque
Poſt epulas tibicen adeſt, caſtoſque penates
Inſignis læti repetebat murmure cantus.

Hæc autem ideò triumphum referebant, quia *Faces* & *Funalia* in eo vſurpata, itemque *Tibicines* ad ſacra in Capitolio peragenda, & qui cum alijs eius generis præibant. Vulgò non hæc nota.

EPISTOLA IIII. *Antuerpiam.*

ANDREAE SCHOTTO V. R. *Preſbytero Soc. Ieſu.*

TRISTIS legi de fato, quod oculis tuis euenisſet: etſi nolim hercules te eâ re triſtẽ. Quàm ab honeſtâ cauſsâ contraxiſti? ſtudia & perpetua diſcendi docendique cupiditas vitium & tabem hanc attulerunt: vt nec meminiſſe eius poſſis, niſi vnà optimi in remp. litterariam animi operæque. Lacæna illa ad filium, ex vulnere claudicantem, *Macte, gradum non pones ſine memoriâ virtutis:* idem in te. oculi cùm negabunt, merita ſucurrent orbitatis eius cauſſa. Illud te ſeriò hortor, imò & rogo, vti dum Sol nondum plenè occidit, ea quæ in ſcrinijs tuis affecta habes, perficias, & emittas in publicam lucem. Scio pluſcula tibi eſſe. certè de SENECA patre cur omittas aut tardes? Vtile illud ad eloquentiam ſcriptum eſt, & quod in vno velut corpore præfert tot membra veterum Oratorum: tuus autem in eo labor vetus, & mihi notus iam olim, & laudatus. Quin multa etiam addideris, nec ambigo. quando enim tu ceſſas? Itaque noſtrâ & iuuentutis cauſsâ hæc ede: tum & tuâ, quia gloria te manet, audacter me ſpondente. Etſi vitæ & votorum tuorum modeſtia non eò adſpirat: ſed tamen ſi hanc neglegis, nos vide. Vide & Belgicam,

in

in quâ cum vno iam aut altero hoc agis; & abit à nobis, mi Pater, melior illa omnis mitiorque Musa. Clausula est, ne claude hæc tua:

Parcentes ego dexteras
Odi, sparge rosas:

quæ suauiter nos & posteros recreent ac delectent. Vale. Louanij, VII. Kal. Mart. ∞. IↃCII.

EPISTOLA V. *Patauium.*

GVILIELMO RICHARDOTO SVO. S. D.

IRATVM me fuisse, atque etiamnunc esse, debeo fateri. Quid? tres totos menses vos abfuisse, & nullum verbum? Imò quartus iam mensis præcipitabat, & tunc denique de aduentu vestro Dolam. Gaudeo incolumes; doleo & iterùm irascor, sic incuriosos nostri, aut neglegentes. Simile in Italico itinere. venisse in Italiam, Mediolani fuisse, Puteanum nostrum vidisse priuatim, & in publico audisse, ex eius litteris dudum didici, requiro etiamnunc vestras. Vnas diu pòst sanè accepi, quæ hoc significarent tantùm, Patauij vos esse: cetera prioribus & vberioribus litteris notificanda. Eas non vidi, quibus creditæ sint, vos videte. Ecce, habes causas iræ, & vel ipso te iudice non iniustæ: nec tamen Achillæam illam putes, * σερρότερην ἀδάμαντος ἐνὶ φρεσὶ: —— non erit; indoles mea alia, & ad Horatium me scito,

Irasci facilem, tamen vt placabilis essem:

maximè erga tales, quos corde amo, & nec offendant cùm offendunt. Vnum hoc tantùm, Emendate. Gratum porrò, Patauium allubescere, ipsam (vt commemini) gratam amœnamque sedem, sed studiosorum ingenia siue mores exasperant: nec ea licentia pro boni cuiusquam gustu, non pro eorum item vsu. Sed eò ventum est, artes & studia titulus fiunt, & satis est hunc inscribi. Nostræ hîc res languidæ, lentæ, cum tædio bonorum, & pænè desperatione. Quando enim, aut quis exitus? Ordo & compositio apud partes nostras sunt, aut crescunt: nos qui fuimus, aut deteriores sumus. Abijcio publica; in priuatis, solitudo & studia me habent, illa quidem etiam inopinata. Nam Balduinus noster mihi & rebus nuncium remisit, & condidit se in cœ-

* *firmiorē in pectore, quàm adamas.*

* *Mirum, sed verum.*

tum D. Franciſci, Deo conſecrandus. * Θαῦμα, ἀλλ' ὁ ψευδὴς: res ita geſta, & quidem ſubitò, pridie nuptiarum quas ancilla parabat, & patrauit. Nobis moleſtiæ, diſcurſus, ſcripta, reſcripta, & quæ non ignoras. Nam inuitiſſimo auunculo hęc geſta. De ſtudijs porrò, EPISTOLAE meæ iam lucem videbunt, tributæ in *Centurias quinque*. Plures non libuit addere, & vel ſic ſatis expoſui me ad ictum. Veſtra in ijs nomina: ego vt in animis veſtris, quia commeruiſſe videor, rogo vel poſco. Vale mi Richardote; & vel hoc interim ſcribe, te valere. Louanij, VII. Kal. Mart. ∞. IↃCII.

EPISTOLA VI. *Patauium.*

PHILIPPO RVBENIO *ſemper-ſuo* S. D.

MEDICVS à me abit, ego ſcribo: nónne hoc lætum? Sanè triſtior mihi hæc hiems fuit, & aſſiduus per eam

* *Iouis pluuia ſuper latam terram.*

—— διὸς ὄμβρος ὑπὲρ χθονὸς εὐρυπέδοιο.

Sed nec publicè aliquid, quod gaudeatis audiſſe. Quid de vobis? increpabo etiam, & hercules tardi in ſcribendo fuiſtis, aut, quod malim, infelices in mittendo. Tres menſes totos nihil à vobis auditum: denique incipiente quarto, Dolam veniſſe, tum diutulè pòſt, Patauium. Binas in vniuerſum veſtras vidimus: neque illas quidem vberes, quas initio aduentus in Italiam ſcribitis dediſſe. Veſtri hîc neglectui eas, aut nos (vt liberè dicam) habent: & alioqui illigantur, & animis diſtringuntur ad Oſtendam. Inauſpicatum inceptum! cui nec nunc finis, niſi in ſpe, atque eâ languenti. Italiam autem placere tibi gaudeo mi Rubeni; & magis placebit, opinor, magis intrata. Nam limitem adhuc eius inſediſtis, imò nec eius propriè, ſed Galliæ; ſi cum antiquis terminare lubet & loqui. Velim autem, vbi tempeſtiuum erit, de ipſo te mihi ſcribas, quem ſedulò curo atq; amo, ecquid deſtinaueris, manere, redire, quam vitæ viã inire. Apud nos, ſi ſic pergitur, Scythica barbaries breui, & quod non dico. Deum meum teſtor, faſtidire me & patriam (venia dicto ſit) & vitam pænè addere, ſed CONSTANTIA vetat, & in extremo hoc ſpatio greſſum firmat. Edidi CENTVRIAM vnam ad *Germ.* & *Gallos*; tres ad *Belgas*; vnamque *Miſcellaneam:* his quattuor vltimis nomina

etiam

etiam veſtra, vt antèà animo, inſeruntur. Videbitis, ſi tamen hęc ad vos perferentur. De *Senecâ* aut alijs, nihil addo: *——— ὑγιὲς ἀγαθὸν (ait diuinus vir) ὑπέρβιον εὐχετάσθαι. Valetudo me ligat: & pænè illud iam placet ſedetque

*——— μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή.

Deum precor, mi Rubeni, te longæuum, & in melius æuum, quale ingenium tuum merebatur. Louanij, VI. Kal. Mart. ∞. IↃCII.

Baldinum noſtrum, ſtatim à diſceſſu veſtro, *ἀποτάξασθαι τῷ κόσμῳ, καὶ πάσαις ταῖς βιωτικαῖς ἡδοναῖς ἢ μερίμναις, credo te audiſſe. Agit etiamnunc in cœtu Diui Franciſci, hac vrbe.

* non bonũ ſupra vires iactare.

* magna in hominibus doctrina, ſilentium.

* abiunctũ à mundo, & omnibus vitæ voluptatibus aut curis.

EPISTOLA VII. *Cracouiam.*

ANDREAE SCHONAEO I. V. & S. Th. Doctori.

LANGVOR me habebat, nec ab eo promptus eram ad ſcribendum: tamen me fecit tuus amor, mi Schonæe, quem in litteris ita palàm, quàm ſi in ore atque oculis, oſtendis. Itáne procul, & in illis quoque regionibus ego, id eſt litteræ amãtur? Nam quia libaſſe eas cenſeor, vos in me inclinatis: gaudentem, & libentiùs quò eundum eſt euntem, quòd ſpem relinquam doctrinæ in Europâ hæſuræ, quæ vos etiam in vltimo eius limite adſpexit, imò arctiori amplexu ſibi iunxit. Deus bone, quis bono & veteri æuo de vobis hoc ſperaſſet? cùm horror illic & ſqualor, nec niſi Martis ſedes, & incolis cordi * ——— πόλεμός τε κακὸς καὶ φυλοπις αἰνή. Quàm mutaſtis? & humanitate, elegantiâ, omni cultu animi, prouocare audetis lætiſſimam quamq; gentem. Mirus Prouidentiæ ordo! & cæleſtis ille agricola has illasque partes excolit, & velut nouales quoſdam agros, alternis ſerit. Quid Græci, quid placent ſibi Itali? Græcia & Italia nuper in Galliâ, & nunc in Germaniâ aut Sarmatiâ reperiantur. Macti eſtote, applaudimus: & tibi priuatim mi Schonæe, qui vtraque oratione, ſolutâ & ligatâ, potes pollesque. Vidi enim; & ipſe ille qui attulit Comes Teuczinius, lumen & decorem infudit, nobili ſtirpe atque animo iuuenis, & qui creſcit in laudem veſtri regni. Hac quoque parte vos beatos! apud nos in omnia alia ſtudia nobiles verſi, & inuoluit eos * ——— πολέμου κλόνος αἰὲν ἄπαυστος. Sed frui Comite veſtro

* bellum & diſcordiæ index.

* belli ſine fine catena.

vestro diutiùs, mihi votum fuisset, linguâ diserto & prompto, mente & iudicio bono: sed via eũ trahebat. me languor sistit, non aliquis nouus, sed ille vetus, &qui in tam pertinace luctâ deijcit, vel supplantat. Bonâ fide, ego ire me sentio ad metam: quid mali aut noui?

——— *omnes vna manet nox*
Et calcanda semel via leti.

Tu longùm longumque vale mi Schonæe, & optimas ibi artes propaga. Louanij, postrid. Idus Mart. ∞. IↃCII.

EPISTOLA VIII. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO S. D.

CENTVRIAS à me cape, & in ijs te lege. Sæpiculè, sed non toties quoties in animo te memoro & gesto. Non lubet profari ἔπη ξιπτήχη, neque me decet: sed tamen quędam inter Epistolas sunt, quæ famam habere nunc & olim possint. Neque enim omnes: & quasdam non iudicio meo edo, sed alienæ ambitioni (apud te liberè) aut & amicitiæ dono. Tu si es, quem cupio & censeo, & addam, scio, compotem me iudicij tui fac: id est censuræ. Non est sera emendatio, & altera editio est in manu. De publicis sileo, & linguam mordeo: tamen populariter ruinas video, & ille Iupiter

* *Ordine corripiet, qui caussa est, qui neque caussa est.*

* Μάρψει δ' ἐξείης ὅς' αἴτιος, ὅς τε μὴ αἴτι.

Feramus, & vno verbo, PHILOSOPHEMVR. Vale V. R. & Clme. Louanij, Kal. April. ∞. IↃCII.

EPISTOLA IX. *Mediolanum.*

IACOBO RESTAE V. N.

AMICA atque diffusa scriptio tua, etsi in morbo, ad respondendum impulit: neque animo contractiùs, etsi manu fortasse fiet. Nam hanc ægrè, illum alacriter ad te moueo & mitto, libenter apud tales hæsurum, & vel ætatem acturum. Prudentia & virtus tua (non blandior) ex ipso characterismo scriptionis tuæ innotuit: neque opus testimonijs vel productione Puteani nostri fuit. Itaque amicitiam libens volensque tecum

pango

pango: fouendam deinceps litteris,colendam etiam officijs,quæ intercapedo quidem hęc locorum admittit. Nam bonæ & antiquæ fidei in his talibus sumus: vtinam & ingenium, aut opera eius, quæ tu æstimas & attollis ! Enimuero qualiacumque, cara tamen habeo,quia me carum vobis talibus reddunt. Vt perseueres mi Resta, ego rogo , & ambire me quod ambiebas subsigno. Louanij,Kal.April. ∞. Iɔcii.

EPIST. X. *Tornacum.*

Dionysio Villerio. S. D.

Heus tu,inclamo. Itáne de salute meâ solicitus,vt nec verbo inquiras? Ad extremam lineam pænè redactus fui: & vbi à te cura aut solatium? Sed, quod ipsa scriptio excitatior tibi dicat, iterùm meliusculus sum , & virium aliquid ac spirituum recepi. Antuerpia me vidit, nunc Bruxella, sed & Hallæ, ac votum hîc Diuæ Virgini (disce è Carmine) persolui. Vides me arma suspendere, & otium moliri. Toto certè animo, in hoc turbido & ambiguo statu rerum:cùm meditari & firmari satis est, aduersum imminentia aut præsentia mala. Quid priuatim ? vidistin' qui me lacessant ? improbus & imperitus aliquis (vtrumque verè dixerim) ab Italiâ: qui glaucomam ob oculos obijcit, velo libri antiqui . O meum risum ! scio,& publicè testatus sum (nam respondi) nihil eius esse, & mantellum diligentiore inquisitione huic mendacio detraxi. Totum sanè scriptum, siquis inquirat, —— *apinæ tricæque, & si quid vilius istis* . Tamen,vt dixi, respondi: sed ita me Deus,cum pare impare cõpositus,& Gręco verbo,* χύτρα ἡ τέτρα οὐ συμφωνεῖ. Indignor,non homini qui scripsit (ambigua sanitas eum excusat:) sed qui legere & æstimare etiam præ se ferunt, quadrante non emenda. Ipsam rem dico : & cùm cogito,pænè pœnitet respondisse. Eò ventum esse ? vt pro benefactis & promeritis conuicia & calumnias referamus ? Nam cum poëtâ:

* olla & petra non conueniũt.

* —— τὸ μὲν λαίχομεν γέρας ἡμεῖς.

* hæc talia præmia nostra.

Beata in secessu vita, sed & in tenebris : quoniam reuera pauci qui, non dicam præmia, sed iudicia laboribus nostris donent. Feramus: & cum Theognide sentiamus,

* Εὖ ἔρ-

*Fac bene, sed tibi fac. quid fama pramia quaris?

* Εὖ ἔρδων εὖ πράττε. τί κ' ἄγγελον ἄλλων ἰάλλεις;

Nobis, inquam, viuamus, Deo & nobis morituri. Valere te cupio, mi optime Villeri: nam de rep. nec verbum lubet addere: à te tamen audire. Louanij, Idib. Iunijs, ∞. IↃCII. Wingio Canonico mihi percaro salutem dico.

EPIST. XI. *Lugd. Bat.*

GERARDO BVYTEWECHIO S. D.

LIBENS intellexi de vxoris vtero grauido, libenter audiam (Deus breui faciat) de soluto & leuato. Sit hoc gaudium tibi, sit tuis, & ciuem aut ciues paullatim patriæ dones, bonos è bonis. Sed quid tu ita nihil de alijs? an non Epistolas meas vidisti? in ijs vnam alteramque ad te, aut de te? Plures non libuit, temporum metu, & ne beniuolentiæ specie noxam noceam. Quid autem de ijs ibi censent? quid Scaliger? quid etiam agit? Breui & libellum pugnatorium videbis, quo Italo respondi proteruiter incurrenti. Inuitus hercules, sed amici protruserunt. nam libello quidem eius, si examines, nihil ineptius aut imperitius: tamen applaudunt quidam, quibus suaue sit vmbram aliquam luci huic fieri. Iudicia! & tempus est desinere me omnis scriptionis, si hæc obtinent. Vale mi amice, cum Tuâ, & futuro Tuo. ita Deus (iterùm rogo) donet. Louanij, Idib. Iunijs, ∞. IↃCII. Parenti vtrique saluere & gaudere.

EPIST. XII. *Antuerpiæ.*

FRANCISCO SWEERTIO F. S. D.

LIBENS tuas litteras nunc vidi, è quibus quæ apud partes nostras feruntur aut iactantur omnia didici. Nam Demetrianas cùm lego, ipsos & eorum sensum videor audire. Neque ambigo apparatus & vires aliquas esse: an tantas, an in tempore, & quod caput est, feliciter exferendas, suspendo, & optimo magistro Tempori committo. Quod de Italo meo scribis, & te auidè exemplaria exspectare, videbis breui (nam & breuis libellus est) ac simul eius imperitiam. nam impudentiam omitto, quæ mundo innotuit: per me autem, illa. Equidem nihil minùs libenter

benter facio, quàm repugno, etiam læſus, etiam in facili & iuſtâ cauſsâ: ſed hîc æui gratiâ aliquid dicendum fuit. quia plerique fauent contra nos dicentibus, & ſine examine, pedibus in partes illas eunt. Retrahendi ſunt, & vel inuitis oculis fulgor veritatis inſerendus. Audacter dico, qui mea leget, quales ſumus, illum & me norit. At de Britannicis iudicijs, riſi. Etiam N. (doctus & induſtrius vir) me miſeratur? Ego illũ, ſi ſeriò ita ſentit: & omnis doctrina vetus & vera, nugæ & ludi ſunt; aut talia habenda à modicè doctis, quæ ſcripſit LVCIVS meus dicam, an Apuleij? Satis hîc. ego in ſcripto repreſſi, & Europæ oſtendi futilia hæc iudicia nec nauci eſſe: nec benè Pygmæum imponi in coloſſo. Tacitus & ego (liberè, liberè dico) non ſumus ad hos arbitros aut Cenſores. Sed iterùm de republicâ. quæ me hac æſtate ſolicitum habet: tu ſi quid audies (& audis) ſcribe, ſine præſtationis periculo, & vt audies tantùm. Vale mi Sweerti. Louanij, VIII. Kal. Iul. ∞. IↃCII. Tuam ſaluto, & prolem creſcere voueo ac valere.

EPIST. XIII. *Tornacum.*

IOANNI BVCHAERIO *Doctori Theologo.*

POPVLAREM tuum, & noſtrum auditorem Vacquerium, libens vidi, magis quia à te veniebat, & litteras etiam, id eſt pignus affectus tui, ferebat. Amo & æſtimo te iamdudum, nec à temporibus iudicia mea pendent, quæ Ratio format, illa æterna, & à fluxu caſuum euentuumque non ſuſpenſa. Vbicumque es, quocumque munere aut fato, ſcio te BVCHAERIVM eſſe, id eſt virum ſeriò probum & doctum, & amore talium dignum. A me præſto, tu redde, ab affectu quidem merenti. Iſte, quem vides, veſter eſt: commendo, nec onus tamen impono, qui ſcio te in externo ſolo eſſe, & alienæ ſæpè gratiæ indigere. Sed vultum atque animum exhibe: ſufficit: nec Deus ipſe vltrà poſcat. De Galliâ autem veſtrâ, quæ iſta ſunt? quis non miſereatur gentis, in quiete inquietæ? etſi cauſſas tamen intimas nos diſſiti parùm ſcimus, neque cupio equidem, niſi quatenus poſteris opus ſit tradi. Dies hoc dicet. te Reu^de & Eximie Domine, inter ictus Fortunæ ſtare cupio, & te nixum ac Deo, ſpernere quicquid aſ-

sultat, vt fluctus quosdam aquæ abeuntis, & alludentis non lædentis, vbi robustior materia occurrit. Louanij, Kal. Iulijs, ∞. IↃCII.

EPIST. XIIII. *Valentianas.*

HENRICO D' OVLTREMANNO, *Senatori.* S. D.

ET libens, & iudicio feci, quòd tuum nomen Centurijs nostris inseruerim: boni militis, & vel inter Triarios, vt sic dicam, accensendi. Non amor hoc solùm in me, sed eruditio tua & ingenium postulant, clara & rara inter meos Belgas. Itaq; meritò feci, & doleo nõ pluries fuisse: quia nouum & nuperum scilicet inter nos commercium hoc litterarum, etsi amore non nouo. Quod autem nunc scribis de Arriâ illâ Pæti, & laudem eius & factum meum probas, ô quàm mihi gratum! O quàm non plebeiæ mentis talia hæc iudicia! Nam sunt qui aliter, inter graues etiam viros, & nihil nos mirari nisi nostrum, id est Christianum, volunt. Quæ & ipsa herclè miranda & super-miranda fateor: sed quæque suis finibus & æuo claudenda, & aliâ atque aliâ lege vel adspectu laudanda sunt. Vt inter gentiles, quis ex vtroque sexu, quis ex omni natione, super hanc Arriam iure se attollat? Et stili mei penicillo factum hoc vnum eius satis expressum censes: ego ambigo, & dicam magis adumbratum. Certè illa lux præstringit ingenij aciem, nec plenè etiam admittimus, nedum vt efferamus. Simile in Martialis vltimo versu tu iure notas: nec est pro robore fæminę in omnia constantis & inuictæ. Sed ô tuum ingenium, & simul vbertatem, in reformando! testor Genium, admiratus sum. Triginta quattuor sensus (tot adnoto) pro vno substituisti: & quosdam argutos, & altos. Placent maximè isti,

Si ferrum hoc refugis, hoc mihi Pæte dolet.
Hunc cape, libertas hîc tua Pæte sita est,
Pæte feri: an trepidam vis iuuem & ipsa manum?

Nec alij degenerant: etsi Martialem excusset, quòd robore iam expresso, affectum illum & castum amorem coniugis voluit etiam notatum. In Coreti nostri fato dolui, non dolui. Nemo bonus optet pessimo hoc æuo esse diuturnus: & nescio an de altero optet.

optet. Monumentum ei à te positum placet: atque ecce versus etiam meos repono, sed alterius rei, quos hîc inclusi. Te nunc animo, etsi ab alloquio auerto. Vale V. C. Louanij, VII. Idus Iul. ∞. IↃCII.

EPIST. XV. *Duacum.*

BARTHOLOMAEO PETRO LINTRENSI *Doctori Theologo.*

EPISTOLAM tuam, quam affectus solus expressit, accepi, & curam in eâ mei amaui. An possim aliter? vice parentis in me afficeris, & solicitè de valetudine non quæris solùm, sed iuuas. Consilia enim suppeditas, nec à ratione absona, & vsurpanda profectò, si imbecillitas illa & defectio virium etiamnunc me haberet. Sed nuntio tibi, quod gaudeas, meliusculè esse. Antuerpiam, Bruxellam, Hallas profectus fui: & vel ipsa peregrinatio, vel Diua illa Virgo, quod libens credo, me recreauit. Sanè Patronam eam iamolim adoptaui & colui, & sensi variè auxiliarem. Votum quod ei voui & solui, hic habes. De scriptis meis, polliceri haud multa possim, nec magno labori adhuc subsistere: tamen conficere quædam animus est, iamdiu affecta. Interuenit etiam nescio quis Italus (transfuga & malarum partium, vt audio) qui publico scripto me lacessiuit. Aliquid reposui, & me mittente breui videbis: etsi non magnum aut valdè serium, sed talibus vel ipsorum caussâ respondendum est, vt desinant vanitatis, & quod non sunt ne esse se putent, aut putentur. Quod ad *Catonem* attinet, certum nec illum nec prisci æui auctorem esse, imò nec Ausonij in eo stilum aut ingenium agnosci. An ille tamen, quem sagaciter eruisti, videndum ac pensitandum est. De me, certè nihil nunc adfirmem: hoc tantùm, coli te in isto animo, & amari. Louanij, VI. Idus Iulias, ∞. IↃCII. cùm hostis castris nostris propinquus esse nuntiabatur, id est nobis: etsi de consilio eius nihil etiam liquebat. Nostri in tuto, si tueri se satis habent: in pugnæ discrimen rem mitti ego nolim, & ratio fortasse mecum.

EPIST. XVI. *Gandauum.*

MAXAEMILIANO VRIENDTIO.

APAGE, plurifariam in epiſtolâ, etſi amicâ & gratâ, peccas. *Scipione* iſto te niti dicis. túne? qui alteri trepidanti apud me potes ſcipio eſſe. Peream, iterumque peream, ſi non te inter primos meos Belgas ab elegantiâ ingenij & morum æſtimo, & quod ſequitur, amo. Nempe oſtendiſti, inquis: & me in Centurijs illis, vt capite cenſum, habuiſti. Erras mi Vriendti, iudicio inter Claſſicos te cenſeo: ſed quid factum? vnam epiſtolam ad te ſcribere memini, ea queſita nuſquam comparuit, & Audeiantius qui mihi à manu eſt, bonæ fidei iuuenis, querelam & pœnè dolorem in eo meum dicet. Men' tui pudeat? quem iactare & oſtentare apud exteros etiam velim, debeamque: & meruiſti. Emendabimus, & quamquam à te vitam & famam habes, tamen ſi non te, affectum erga te (ita viuam) ad poſteros propagabo. Mitte, ſodes, exemplar epiſtolæ illius, ſi tanti fuit vt ſeruares. Italo in me iniurio nuper reſpondi: videbis, &, ſcio, ridebis. Tuum Carmen in amatum mihi Symbolum & ANTIQVOS MORES, nimis libens legi: ama, ama & illos ô Vriendti, & me, pectore eos teque amantem. Saluto Hardwynum noſtrum. Louanij, ipsâ horâ pænè quâ tuas vidi. prid. Idus Iul. ∞.IↃCII.

EPIST. XVII.

NICOLAO MONTMORENCIO, *Toparchæ Vendeſio.*

DVPLEX beneficium accepiſſe me interpretor, & ſcriptionis tuæ, & doni quod miſiſti. Ipſa profectò ſcriptio grata, primum ſed firmum teſtimonium animi tui ſic in me affecti. Quid de dono dicam? breuiter ſed fideliter, cariſſimum eſſe & à ſe mereri. Materies, quæ pietatem, id eſt caput virtutum, an omnem virtutem dicam? tangit. Quiſquis eâ caret, aut neglegit, quid veri non dicam Chriſtiani hominis, ſed hominis habet? Ad eam nati omnes, nos quoque peculiari Dei gratiâ inſtituti ſumus: teneamus & amplectamur, vnicam quietis hîc ancoram, vnicum ad perpetuam ſalutem viaticum & viam. Ego verò tanto ca-

to carius hoc tuum habeo, quod vti fruiq́ue cottidie eo cogito, & domi vel in ædibus ſacris habere hoc precationum vel meditationum inſtrumentum. Hortatore me non eges: es nobis & omnibus: teſtari tamen poſſumus, laudabiliùs aut vtiliùs operam tuam poni non potuiſſe, non ſi Patriæ aut Principi vitam & ſanguinem impenderes: ô quàm meliùs Deo, & cultui eius propagando, hunc animum, hunc ſtilum! Nobiliſſime Domine, valere te, & ſemper hoc agere, Deum precor. Louanij, Idibus Iulijs, ∞. IↃCII.

EPIST. XVIII. *Amſtelrodamum.*

HENRICO LAVRENTII SPIEGELIO S. D.

CERTE animum meum tetigit tua ſcriptio, & corde profecta amicitiæ commemoratio, quæ inter nos fuit. Fuit? imò eſt, atque erit, quamdiu alter noſtrûm erit. Significas autem de conſorte vitæ & thori, quam iterùm tibi is adiunctum: & quid dicam aut ſuadeam? Priorem tuam vidi & noui, probam, modeſtam, & tui planè ingenij: de iſtâ (ſi iudicio elegiſti) idem mihi ſperare datur, & Deum rogo vota noſtra adimplere. Magna res eſt, vt inquis, in iſtud mare ſe dare, in quo fluctus, venti, procellæ interdum: & ipſa res coniugij, priuſquam animi coëant, moleſtias & auerſiones ſuas (interdum & contentiones) habet. Mirum cogitatu, quòd Deus homini ſolatium & leuamen fæminam dedit; ſæpè autem contrà eſt, & neſcio quo naturæ vitio in pœnam & noxam abit. Abſit vt tibi eueniat, qui miti ingenio amorem prouocas: & ſi melioris animi aut ſanguinis aliqua contigit, cælum in terrâ hac (vaticinor) habebis. Vt tua nunc ætas & prudentia ſunt, iudicio elegiſſe debes: affectui ſi obſecutus es,

Non illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimeræ.

Deus hoc nolit; & in extremâ ætatis metâ ſpatium decurrere det cum gaudio, & ex prole etiam, ſi in Fati tabulis ea ſcripta. Quod voues de coniunctione & colloquio iterùm noſtro: vtinam eſſe poſſit, vtinam vel ſpes ſit! Sed cùm tempora video, quę ſupremus ille Arbiter diſponit & ordinat, vereor vt hîc videre

inter

inter nos vetemur, non tamen amare & animis iungi, quod facio, & à te fieri deposco. Vale mi amiciſſime Spiegeli. Louanij, VI. Idus Sextil. ∞. IↃCII.

EPIST. XIX. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO V. R.

EN libellos noſtros; inſpice, & ride. facies certè in altero, vbi res & verba eò ducent, &, fallor, aut paris mei ſtupor. Luſimus hoc irritati, non tamen irati: quod ſcriptio ipſa dicet, in quâ lepidi aut amœni aliquid, vix aſperi aut amari. Quid autem exigas aliud? non fuit ille hoſtis cum quo ſtatim & collato pede pugnaremus: velitandũ verbis fuit, & velut præpilata iſta dictorum ſpargenda. Reuera enim nihil ille niſi * φύσημα κὴ μόλγος: nos diſpunximus, ventum eduximus, iacet & flaccet. De meis iſta: in tuis, querebaris nuper de onere, quod nouum munus imponit. Videris deponere velle: nec diſſuadeam, vt * φιλεύδιον & φιλήσυχον illud ingenij tui noui. Sed deponere; id eſt cum pace & veniâ Principum: nec abijciendi ius tibi cenſe. Tua hoc prudentia moderabitur. quæ vtinam & in publicis noſtris luceat! Nam iſta quò eunt? quid ſi Galli etiam ſe miſcent? Timeo, quod prouidi omnes: & eueniet, ſi vera quæ de occultis illis coïtionibus narrantur. Si quid certum habes, ſignifica, me ama, & vale. Louanij, v. Idus Sextil. ∞. IↃCII.

* *inflatio & vtris.*

* *tranquillitatis & quietis amans.*

EPIST. XX. *Valentianas.*

HENRICO D' OVLTREMANNO S. D.

CARMEN tuum in Senecam accepi, bonâ fide, bonum. Vtar, ſed quando? quando, inquis, Seneca tuus prodibit? Definire non poſſum, vt hæc ſunt tempora, ſed & vt mea valetudo. Nónne illa vides ad Martem omnia, non ad pacatas noſtras Diuas? Iamdiu quidem ea turbida, ſed nunc maximè,

Nunc mare, nunc ſilũæ
Threïcio Aquilone ſonant.

Vides exercitus & inſtructas vtrimque claſſes: & nos in medio aut propinquo, ab euentu pendentes. Nónne hæc ſunt, quæ

—— *vitæ*

—— vitæ rationes vertere poßint,
Fortunasque tuas omnes turbare timore?

Sunt, ſi vulgum ſpectes: à quo tamen iamdiu electione & iudicio me excreui, Virtuti & Conſtantiæ propior, & externa iſta leui & ſpernente oculo delibans. O ſi valetudo tantùm mihi firmior! nihil me turbet,

Non ſi terra mari miſcebitur, & mare cælo.

Hæ cogitationes meæ aut interna exercitia ſunt, mi d' Oultremanne, quibus me firmo aut erigo: &, ſine prouocatione aut iactantiâ, in Fortunam accingor.

Quò me fata trahent, virtus ſecura ſequetur.

Sed cum Enniano Neoptolemo, *Philoſophandum, verùm paucis.* Libellum hunc vides: an & is pro philoſopho? An non melius ex alto deſpicere, & nec audire quidem pueros iſtos vagientes? Fortaſſe. ſed nec illud inutile, ſemel qui ſimus oſtendere, & illos ad Delphicum illud ducere, vt *Se norint*. Feci, iudica, & ſeriò amantem ama. Louanij, XIX. Kal. Septemb. ∞. IↃCII.

EPIST. XXI. *Lucemburgum.*

F. PHILIPPO BOSKHIERO, *Ordinis D. Franciſci* S. D.

FATEOR & agnoſco culpam, quæ videri potuit, & non fuit. Silui ad tuas, ſed quâ cauſsâ? morbi an languoris, qui tenuit & ad beata loca (ita ſperabam) pænè traxit. Deduxit inquam, non traxit. nam cur inuitus è vitâ abeam, in quâ manere nihil inuiter? Procellas & nimbos vides, vt in noui orbis quibuſdam damnatis inſulis, ſine pausâ perpetes; vides & vitia magnis auctibus creſcere: vides ipſas delicias noſtras & meliorum mentium, dico litteras, curſu non gradu abire. Itaque pranſus paratus eram, vt ait ille: Imperator tamen in ſtatione etiam manere iuſſit; & nutui eius audiens eſſe debeam, non ſolùm decreto. Eidem tu mi Boskhieri, qui corpore diſiũgeris, nec vultus aut ſermonis mei copiam habere doles. Cur autem? in exiguo iſta ſunt: animis adeſſe atque hærere poſſumus, & teſtor te meo carum eſſe. Scripta tua faciunt, in quibus non imitatio, ſed imago mei, & pænè ego. Affectus in eo tuus elucet: ſed & ingenium, qui tam feliciter quod vis potes. Adoleſcentem à te commendatum vidi, af-

fatus ſum paucis: ſed in ijſipſis paucis agnoui ingenuam mentem, & melioribus natam. Qui has fert, dedi & libellum à me ferendum, nouitium noſtrum fœtum. Ridebis pugnantem Lipſium: quo nihil (verè dicam) mitius: ſed, vt poëta ait,

Sæpè etiam inſtanti læſa repugnat ouis.

Et cauſſas reſcripti alias publicè dedi, leges, & me amabis, & quod adhæret, precibus iuuabis apud Numen, cui cottidie facis. Ita ſalue R. P. & mihi percare. Louanij, XVIII. Kal. Sept. ∞. IↃCII.

EPIST. XXII. *Græcium.*

MARTINO ANTONIO DELRIO *Preſbytero Soc. Ieſu*

TV ad extremas Germaniæ oras, ego nuper ad illas Fati vltimas relegatus videbar: iterùm viuo (ſic loquendum eſt) & ſemper in te meus amor. EPISTOLAS noſtras vidiſti? te in ijs, etſi alia duabus etiã Centurijs ſeruantur. Nam partiri me vides, & in quamq; Centuriam plures annos velle inſertos. Quid autem hoc tui ſilentij? ægrotas, faſtidis, an (quod abhorreo) contemnis? Vidiſtin' illa Itali, qui proteruè me laceſſit? hîc Reſcriptum meum habes, breue ſed forte, aut fallor, & tibi ac cuicumque bonæme ntis iuſtum probumque. O petulantiam ſimul, & inſcitiam! De æuo quid ſperem neſcio, cùm has exerrationes video, & probatas etiam, quibus ego probari me pretium cenſebam. Quid eſt? mens me aut illos deſerit? an bonâ fide, & liberè, melior ille doctrinæ Genius Europam noſtram fugit? Hæc priuata: publica in metu, & nobis proprio. Hoſtis adfuit, equitum peditumque vi ſuccinctus: vigilarunt Principes, & ille abijt, alibi vires (vtinam pari fortunâ!) explicaturus. Vobis quoque Bellona veſtra, ſed fatali hoſtium ignauiâ parum etiam damnoſa. Deus ita porrò donet, & optimos illos Principes ſaluos auctoſque velit: te imprimis mi Pater. Scribe, ſcribe, aut iraſci me non dicam, ſed poſſe. Louanij, XVII. Kal. Sept. ∞ IↃCII.

EPIST.

EPIST. XXIII. *Bruxellam.*

PETRO LA-TORRIO, *Quintanadueñas.*

SCRIPTIO & animus tuus mihi grata: è quibus illa in me affectum, hic in virtutem & sapientiam præfert. Perseuerare te, in isto maximè, id hortor mi La-torri: quo fine in vitam venisse nos, & diuinâ illâ imagine ornatos, non ignoras. Consulis me de itinere tuo, an mansione. Breuiter, mihi mansio placeat: & vbi meliùs, quàm apud domesticum illum tuum magnum doctorem? Auunculum dico. cuius prudentia, virtus, etiam doctrina mihi nota. Ad illius Scæuolæ latus hæreas, & affectum eius tibi pignora: quod non aliâ re magis facies, quàm studio & promptitudine discendi. Quid si etiam (sed de eius consilio) de vinclo aliquo iugali cogites? Quod ætas tua non abnuit, sed nec vtilitas: ac sæpè, vt noster Tacitus, *matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit.* Sed de consilio, vt dixi, eius à quo pendere debes, &, vt cum Lucretio hoc dicam,

—— *ad cuius numen nutumque moueri.*

Habes sensum meum, sed compendio: multiloquium & occupati unculæ & natura mea refutant. Louanij, VI. Kal. Septemb. ∞. IↃCII.

EPIST. XXIIII. *Antuerpiam.*

HENRICO VVENO Iᶜᵒ S. D.

IVRE extollis liberalitatem Arschotani Ducis: rara est, & apud nostros præsertim populares. qui quiduis magis in pretio fortassis habent, quàm id cui pretium non reponant. Sed ita mores & iudicia: cum quibus pugnare me iubet, quisquis ad scriptionem vocat. A quâ, vt ista omittam, valetudo tamen satis auocat; non illa nunc quidem abiecta, sed non iterùm per studia (satis sensimus) abijcienda. Libellum nostrum non displicuisse, gaudeo: hoc scio, æquis & iniquis arbitris hominem illum repulsum & reuictum. Alius exorietur, & iam audio: eamus, & hoc fine laboremus. Omitto: de rep. magis angor animi. Grauiam relictã discessu, an fugam dicam, nostrorum hîc audimus. Adfuit mihi

ex Italicis copijs vir nobilis & doctus, qui narrauit visa. Quid autem de Brabantiâ nostrâ speres, si illam & quæ adhærent (Buscumducis, & reliqua Geldriæ) amittimus? Consilia nostrorum iamdiu non capio: qui spem totam in Pluto reponere videntur, sed vtinam non cæco! A Galliâ pax & serenitas iterùm nuncientur: palàm quidem. quæ in animo nubes aut nimbi aggregentur, nunc suspicio, actiones posteà dicant. Valere te, cum Tuâ, mi Vvvene amicissime opto, & Robianum illum nostrum saluere. Louanij, VI. Kal. Sept. ∞. IↃCII.

EPIST. XXV. *Lutetiam.*

IACOBO AVGVSTO THVANO, *Senatus Præsidi.*

FRATRIS tui filium, & in eo THVANOS vidimus, id est, magnorum illorum virorum non stirpem solùm, sed mentem. Multa in eo comitas, virtutis & doctrinæ amor, & qui breui sermone se planè in pectus nostrum immisit, & vt sic dicam, illatebrauit. Nec tui affectus nos celauit, etsi olim cogniti: sed sic perseuerare & viuere, id quoq; gratum, & à tali teste, audire. Vtinam illa tua consors viuat! quam abisse, nunc denique mihi auditum. De inualetudine olim aliquid: sed exitiabilem fuisse, hoc fugiebat. Scissem, & solatij aliquid à me habuisses: an & eguisses? Nam tuus IOBVS domi, & à te, omnia dicta aut dicenda suppeditabat. In historiâ tuæ gentis & Regum te pergere gaudeo, & quàm materia & silua rerum cottidie crescit? Illa nupera coniuratio prodigiosa fuit; exstincta ab Hercule: quando nostra hæc bella? Lenta, pænè dicam perpetua:

Et vereor ne tarda priùs per membra senectus
Serpat, & in nobis vitaï claustra resoluat,

quàm ponere aut remitti videamus. Te & vestrum regnum obiter semel vellem, & acre atque internum votum est: an damnabor eius, nescio: sed cupiens sum, & tui amans, Vir Amplissime, cum Casaubono, quem saluto. Louanij, VI. Kal. Sept. ∞. IↃCII.

EPIST.

EPIST. XXVI. *Madritum.*

LVPERCIO LEONARDO ARGENSOLAE S. M. *ex animo* D.

O AMICAM tuam ſcriptionem! ô elegantem & eruditam! Et pararium tu etiam alium quæras meo amori? Mihi crede, vel alter hic titulus iungat & adſtringat: quid vterque, & ſic eximius? Imus, imus quò nos trahis, & amicitiæ ac fidei dextram reddimus porrigenti. Tibi tantùm? imò & fratribus tuis duobus, quos ab eadem duplici notâ commendas: & vt nuncies ijs de affectu meo mutuo, hoc rogo. Mi Luperci, tales Geryonæ plures in Hiſpaniâ nobis ſint, regnum teneãt, ſed in litteris: quoniam illud ſceptrorum magnanimo dicto ſpernis. Sed quò pauciores ibi, magis fortaſſe lucetis, ſicut in nocte clariora illa aſtra. Quod autem hortaris me ad edenda porrò quæ concepi & affeci, ac nominatim veſtrum Senecam: velle non abnuo, vtique de iſto, quem amo & æſtimo ſuper omnes (audebo dicere) Sapientiæ doctores. Gloriamini. & quamquam Hiſpania illa multa pacis decora tulit,

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum rarumque videtur.

Itaque iure operam ei damus, & adminiculamur, quà poſſumus: ſed inualetudo tardat aut ſuſtinet, tum & ætas mea frigus iam & ignauiam habet. Quid etiam? aſſidua triſtitia hęc temporum, bellorum implexa ſeries, animum non erigit: imò ſapientiâ & conſtantiâ opus eſt, vt à lapſu teneamus. Sortem noſtram, etſi diſſitus, audis: & niſi adamantinus es, miſeraris. Vobis gratulor in illâ pace ingenium atque has artes colentibus: & vt diu liceat, Numen precor. De conſilio tuo ſcriptionis, & vt mare illud Pacificum ſiue Mortuum (ita eleganter iocaris) nauiges ac teneas, omnino probo ac conſuadeo: ad noſtrum iſtud Arctõum ſi venis, pericula ſunt, & nec Vlyſſes tutò nauiget:

—— ita perfurit acri
Cum fremitu, ſæuitque minaci murmure pontus.

Tuta, tuta, id eſt vetera, & me eorum amantem, ama. Ego te & tuos fratres, certò & *fide antiquâ*. Louanij, IIII. Kal. Sept. poſtridie quàm tuas vidi, ∞. IↃCII.

EPIST. XXVII. *Bruxellam.*

NVNNO MENDOZAE V. N. *& Principi à cubiculo.*

RESPONSVM hîc habes ad amicam, similiter elegantem, & eruditam (hæc iungenda sunt) Lupercij epistolam: qui à se meretur amorem, sine vllo interprete aut proxenetâ. O virum veteris Genij, & melioris æui! Has scintillas epistola eius iacit, quibus me quidem in amorem sui accendit. Sed respondi, & titulum adieci, quem tu in magno ponebas, AMICI LIPSIANI: verè ita sum, & ero, qui sic virtutem, doctrinam, & elegantiam amant. Plures modò Hispania vestra nobis donet! quod fiet, cùm Deo visum, & Parnassus ille qui in Græciâ exaruit, frondes & aquas suas in Iberiâ proferet & fundet. Opto, opto: nos & vos beatos! Quod scribis porrò, in ipsis castris mentem & affectum tuum ad me isse, gaudeo: & repono tibi seriò, nec immemorem tui aut incurium Lipsium egisse. Sed heu, quàm parum adhuc ex voto militares nostræ expeditiones! Quid in Fatis sit, nescio: sed in caussâ optimâ spem talem non desero, & quamquam tarda aut ambigua ea videtur, vindico & ad bonos bonam traho. Deus adfirmet, & te Ill^me^ Domine, seruet. Louanij, III. Kal. Septembr. ∞.IↃCII.

EPIST. XXVIII. *Mechliniam.*

PETRO PECKIO *Consiliario.*

LAETAM mihi tuam epistolam! ex animo fateor: à tali, & sic scriptam. In alijs curis studijsque fuisti, sed felicitas & altitudo ingenij tui fecit, vt optima semper amares; nec hoc tantùm, sed haberes & potireris. Rarâ hodie sorte. & ferè qui ad res aut negotia se donant, artes aut elegantias, id est animi illum cultum, neglegunt: tu vtraq; iunxisti, & quid nisi Mercurium cum Mineruâ? Nam Marsyam me appellare, dedecet: & ille eloquij & simul lucri Deus foro potiùs, meâ quidem designatione, præsit. Sed extra omnem iocum, prudens simul atque elegans es: & tales nobis ad reip. clauum sedeant & gubernent. Veteres vestri Iuris consulti nónne tales fuêre? omnium confessione, qui vetera no-

ra norunt: nec ego de bono aut felici sæculo spero siue spondeo, nisi iterùm antiquemus. Diuisio ista artium scientiarumque ab imbecillitate nostrâ est, & eius confessio: vos isti, melior progenies, iterùm connectite,

—— quod numquam sine perniciali
Discidio potis est seiungi, seque gregari.

Quid te horter? si dehorter, tamen facias, & vis optimæ naturæ, id est melior in te vel apud te Genius, peruincat. Quòd autem & meis libellis eò te duci scribis, benignitatis tuæ est.

—— sic Cereri sua dona merumque Lyæo
Reddimus, & diues prædæ tamen accipit omni
Exuuias Diana tholo.

Non, inquam, iuuant te nostra, sed delectant. Quo fine & ista accipe, recenter in Italum quemdam (si nomen non imponit) rescripta. Ille in me, vt videbis, petulanter incurrit: excepi, opposui, & scuto saltem me defendi. En nostra præmia! quando rudem accipimus, an nobis damus?

—— suspiro ruris amœni
Riuos, & musco circumlita saxa, nemusque.

Liceret frui mensis an annos paucos, ante mortem! Sperare vix dat ista Belgicæ

Fortuna, sæuo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax:

& tu quoque, opinor, vides & doles. Sed ite tristia. in amore tuo acquiesco, quem vultu & sermone nuper, nunc scripto affirmatum, rogo te, iterumque rogo perseuerare, in amore & cultu tui merituram. Louanij, VIII. Idus Septembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XXIX. *Antuerpiam.*

IOANNI MORETO S. D.

ITANE filiam tuam abijsse? abijt. Dolorem dedisse? dedit. Ferenda tamen hæc sunt mi amice, vt omnia quæ diuinitus immittuntur, & Æternæ illi legi seriò subijcienda hæc voluntas. Nemo hominum eripuit, nõ vis alia aut casus: ille tantùm, cum quo nec pugnare possis, nec iustè de eo queri. Ius suum tenet in dando, & adimendo. Plures liberos habes, sed in ijs quoque Fa-

tum

tum idem poteſt polletque: vtere tamen & fruere (longum ſpero) dum indulget. Habe, vt amiſſurus; amiſeris, tamquam habeas. Quomodo? ſuaui memoriâ retinendi ſunt; & hoc ipſum quod fruiti ſumus, in lucro & beneficio ponendum. Ingratus ille, qui præteritorum oblitus, præſentia tantùm cogitat aut futura. Imò, quod Philoſophi dicebant, certiſſima illa voluptas eſt, quæ fuit. Amplius mi Morete. Deus ſine ſolatio te non reliquit: non fuit tibi vnica. Vt igitur tunicam ſi amiſiſſes, aliam ſumeres & te eâ tegeres: ſic nunc fac, pro filiâ ereptâ aliam ſubſtitue, imò & filios, & certam iam poſteritatem nepotes. Amabas quæ perijt, ſed & reliqui ſunt quos ames. Itaque vt concludam, dolere tibi licet (quis parenti abnuat?) mærere non licet; lacrymare, ſed non plorare. Inter exempla roboris, vnum Plantinum tuum meumque cogita: quem ego in eiuſmodi caſibus non fortem ſolùm, ſed pænè durum vidi, * —— ὡσεὶ κέρας ἢ σίδηρον. Imitare, tuam ſolare: quod & ego conatus ſum epiſtolio adiuncto. Louanij, VII. Idus Sept. ∞. IↃCII. Aula hîc fuit, Præſes Richardotus in meâ domo.

* *vt cornu aut ferrũ.*

EPIST. XXX. *Antuerpiam.*

BALTHASARI MORETO SVO.

TRISTIS audiui de morte Hadrianæ ſororis tuæ. Illiúſne, quæ ante paucas ſeptimanas vegeta & valida hîc fuit? quæ florem primum adoleſcentiæ ſuauiter oſtendebat? illius. Vides mi Morete, quàm fata ordinem non ſeruent, & quos vota ac ſpes noſtra vitæ longæ deſtinabant, eos abripi, & ſuperſtites relinqui languentes aliquos aut ſenes. Philoſophemur, & de nobis quoque cogitemus, hodie fieri poſſe, quod intra decennium aut luſtra aliqua ſolet. Nihil eſt tam certum, quàm incertum illud mortis. Itaque Ægyptij olim ſapienter, qui *Domos* has noſtras, *Hoſpitia* appellabant; *Sepulchra* autem, *Domos*. Nam mora quàm breuis ſæpè in illis eſt? quàm in iſtis certa & æterna? Imus, & ibimus: pauci cogitant, niſi cùm in metâ ſunt, & iam iuerunt. Tu hæc & plura tibi, ſed & parentibus ſubijce: matri maximè, quam ſcio dolere in hac iacturâ, vel potiùs mærere. Iacturâ, pænè eius propriâ: & ſolatium vel auxilium in hac habebat, maiuſque

que sperabat. Sextum Tomum Annalium accepi, atque illud sollenne, Gratias dico. Vale. Louanij, VII. Idus Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XXXI. *Bruxellam.*

PHILIPPO ARENBERGIO, *Baroni Seuenbergæ.*

SICVT aspectus tuus nuper gratus iucundusque mihi fuit, & videre hanc indolem ad alta & honesta omnia natam: sic nunc tua scriptio, quæ me in iudicio illo & honestissimâ opinione tui vehementer confirmauit. Genus vtrimque inclytum, & stemmata Regum Principumque præfers: sed quàm eaipsa illustrare aut ornare studijs Virtutis & Prudentię potes, ad quæ adspiras? O nobilissime adolescens, huc te dona: & cetera externa aut aduenticia esse cogita, hæc animi ipsius propria, & æterni illius æterna bona. Et iam viam ingressus es, quæ rectà eò ducat, imò multùm in eâ progressus: sed hoc (da veniam) monenti mihi crede & obsequere, vt non ad delectationem aliquam nudam ista referas, sed ad finem fructumque duplicem, quem adsignaui: Virtutem dico, & Prudentiam, summa in humanis bona. Sicut floribus alij ad odorem aut adspectum vtuntur tantùm, apes etiam ad mellificium: sic sedulæ mentes debẽt, in fructum & vsum traducere studia hæc litterarum. In quibus, vt tua nunc ætas & conditio est, Historiarum lectio vel primum locum sibi vindicat, vtile ad rempublicam, & consilia actionesque dirigendas, instrumentum. Adhibe. & Iustinum, me suasore, lege velut variarum rerum, gentium, temporum compendium: tum & Plutarchi Vitas, in quibus summatim Græca & Romana habes. Liuium deinde, Polybium, alios licebit adiungere: & cum æuo crescente non peritia solùm & iudicium, sed & amor crescet legendi cottidie & discendi. Hæc olim palæstra & velut gymnasium Principum erat, ante susceptam rempublicam, in susceptâ: & vt alia exempla omittam (sexcenta sunt) vnius Theodosij Iunioris eo suggestum. Is de die quidem, iam Imperator, militiæ, Senatui, iudicijs, & vno verbo negotijs vacabat: noctu autem studijs librisque se dabat, candelabro ita affabrè & ingeniosè facto, vt sponte oleum in lucernam instillaret; nec ministris aut interpellatione opus haberet, ad lumen alendum aut producen-

Vide Sozomenum in Præfat. Hist. Ecclesiastica, & lege.

dum. Rarum magnumq; exemplum est, vobis magnis imitandum: fac Perillustris Domine,& in tenebris istis rerū quasi sidus re datum cense, ad lucendum & dirigendum. Mea scripta,quæ Ill^us Parens tibi dedit,siquid eò facient, gaudebo: & magis,si te perseuerare in optimè cœptis audiero, nec abduci ab eâ, quæ mūdo huic imperat,Vanitate. Louanij,IV.Idus Sept. ∞.IↃCII.

EPIST. XXXII. *Valentianas.*

HENRICO D' OVLTREMANNO, S. D.

OTVAS epistolas! amor eas insidet.ô tuum carmen! venustas & eruditio commendant.Mi d'Oultremanne,iamdiu est cùm vulgo te excerptum vidi, sic sublime ferri magis & magis cognosco,cùm admouemur. Parco dicere,non sentire. O patria,quæ ceteris abundas,quàm virorum hodie sterilis aut inops es! Videmus,dolemus: & posteri etiam,vereor, dolebunt. Nam litteræ,aut cultus iste omnis animi (Phœbum me puta) intra lustra bina aut terna, non nisi nomen & vmbra erunt. Eò magis tu & similes (etsi quàm pauci similes?) eminetis, & arcto vinculo itis me iunctum: neque nos

Supremâ citiùs soluet amor die.

Hæc benignè, sed & candidè: & ne vnquam mihi aliquid ex sententiâ, nisi hæc EX ANIMI SENTENTIA dixi. Sed heus, túne ad nos? inuito,& rogo. videam hospitium quod melior ille animus insidet,mortale immortalis. Aula hîc iamnunc,& alij hospites, non ab Helicone, aut nostro fonte illo madentes. Res non ex voto, vt scis, tamen vultu constant; & vt cum poëtâ dicam,

Gloria mixta malis, afflictæque ambitus aulæ.

Terror hîc nobis,& discrimen etiam incumbunt: CONSTANTIA alleuat,& Prouidentiæ alligat:

Crux est si metuas, vincere quod nequeas.

Ad Carmen tuum redeo,quod auribus meis inerrat:edi & viuere dignum,seu viuo ipse, seu non viuo. Nam sepositi & adgregaui ijs, quæ à morte etiam velim (& sola illa quidem) vulgari. Tu mi d'Oultremanne,

—— *cui liquidam pater*

Vocem

Vocem cum citharâ dedit,

his talibus, verè ſcitamentis Muſarum & bellarijs, paſcere atque erigere nos perge. Paſcor & erigor enim, quò rariores iſtæ Diales epulæ à meis Belgis. Nam ab exteris, non nego, offeruntur interdum. Tu me ſemper, ſemper amaturum, ama. Louanij, prid. Idus Septembr. ∞. Iɔcii.

EPIST. XXXIII. *Bruxellam.*

Maxaemiliano Vignacvrtio V. N.

Epistolam tuam libens vidi, legi, etſi querelis mixtam, ſed quas amor tuus in pietatem & virtutem, & me quoque, temperarit ac lenirit. Doleo equidem in Aulâ te ſic iactari: ſed Aulam cùm dixi, quid miri eſt? Mare qui intrat & nauigat, fluctus exſpectat; qui Aulam, hos motus. Illud ſuauius, cogitare de Franc. Balduini, magni ſanè viri, ſcriptis eruendis & concinnandis: fac mi Vignacurti, & rem publicam ac poſteritatem hoc munere auge. Quod in extremo autem de meâ etiam illâ Præfatione eſt: non offendor libertate: abſit: ſed audi tamen quod res eſt, & ratio approbet, talia illa ſcribi non vt teſtimonia, ſed incitamenta. Monemus magis qui eſſe debeant, quàm teſtamur ſic eſſe. An nouum fit? Traianum tu illum (etſi egregium Principum) credis tu fuiſſe ad Plinij laudationem? Idem in alijs: & Reges aut Principes cùm laudamus, non adulamur, ſed per ambages & flexum ducimus, quò nos & bonum publicum velint eos ire. Ego tuum ingenium, & in purâ virtute aſſerendâ purum animum amo; vtinam æuum ita ſit aut fuerit, vt induamus & vſurpemus! Spem non video, & tamen tecum & te amo: tu me mi Vignacurti. Louanij, xi. Kal. Octobr. ∞. Iɔcii.

EPIST. XXXIIII. *Bononiam.*

Gvilielmo Richardoto S. D.

Vltimae tuæ me delectarunt, bonæ mentis atque etiam dictionis plenę. Amplecteris virtutem, & quę eò ducit doctrinã, & præcepta noſtra ſarta tecta habes: quæ nuper in litteris repetij, affectus magis mei teſtandi, quàm vſus tui cauſsâ. Etſi

cur non repetam atque ingeram? Sicut matres, quæ pueris bellaria & fructus in sinum ingerunt, solicitè succingunt ne excidant: sic nos satagere conuenit ne pereant, quæ optimè monita olim insinuauimus, & nunc per litteras renouamus. Quod probas & gaudes de responso in LVCIVM, fecimus & forte-an iam videris: haberes certè me mittente, nisi sarcinas istas cursores tabellarij ferre grauarentur. Sed respondimus * μεγαλείως & γενναίως, vt in istos decet, qui non nisi remoræ Bonæ mentis sunt, & Virtutis ex professo hostes. Itaque vt leones, aspicimus & contemnimus:

* magnificè & generosè.

* ——— κύνες δ' ὑπὸ καγχαλόωσι
Πυκνὸν ὑλακτόωντες.

* canes autem gannite videbis, latrantesq; vnà.

Fratrem tuum reducem auidè exspectamus: pater hîc adfuit, domum meam honestauit, & hospitem magnum mihi dedit. Ad publica ibat cum Principe, ô vtinam læta! Sed quid tibi dicam? patria iacet, affligitur, & per seditiones istas (quæ iam in morem, & pænè dicam laudem verterunt,

Prô curia, inuersíque mores!

periclitatur aut perit. Deus sustentet, te mi optatissime Richardote nobis seruet, & oculis atque amplexui meo iterùm sistat. Louanij, x. Kal. Octobr. ∞. IↃCII.

EPIST. XXXV.

HADRIANO SAISSEVALLIO, *Gallo, domi nobili,* S. D.

PARANTI abitum, quod petieras, mitto, atque adeò partem animi tecum mitto. Fateri debeo, comem te, & cum modestiâ suauem, in omni conuictu fuisse: quod gratiam tibi vel amorem apud me aliosque peperit, & pariet quò hæc & te feres. Ista à Naturâ habes, bonâ tibi parente: perge Disciplinam addere, & serijs seuerisque etiam studijs animum formare. Germaniam insidere te suadeam, & probitatem illic natiuam videbis & grauitatem: adsume vtraque, non in tuâ gente semper (vt nunc æuum) reperienda. Habet hoc commodi peregrinatio, quòd fas per eam miscere mores & temperare. Vt autem in Musicâ è diuersis vocibus concentum quærimus, & probamus: sic in vitâ, è varietate harmoniam. Sed & alius fructus. Ingenia quædam

transla-

tranſlata proficiunt. & vt fæminæ interdum, antè ſteriles, alijs viris iunctæ concipiunt: ſic illa fœcundantur mutatione, & ſub alio alioque doctore. Perge cum Deo igitur: qui te meo voto ſoſpitet, & bonum clarumque reddat.

TESTIMONIVM.

QVICVMQVE HAEC LEGETIS,
OFFICIA, CVLTVM, SALVTEM DEFERO.

VIRI boni eſt virtutem amare & adiutum ire, ſicubi ignota ea eſt, vel teſtimonij & ſubſidij eget. Quod promptè in iſto V. N. HADRIANO SAISSEVALLIO, *atque etiam meritò, facere me profiteor: quippe qui eum ab annis pluribus nouerim, conſueuerim, & virtutis ſemper, antiquæ pietatis, doctrinæ & humanitatis reppererim peramantem. Quiſquis noſcet propiùs & accedet, idem mecum fatebitur, nec ei teſtimonium iſtud ſcriptum. Sed ſicui ſubitò occurrit aut obijcitur, vt ſolet; præſertim cùm nunc peregrè ad mercatum optimarum artium eat; hunc rogo fidem nobis habere, iſtum amare & fouere, affectu illo & auxilio dignum. En me ſponſorem, non pœnitturum eum ſi quis benignè complectetur aut faciet: me etiam creditorem, & in accepti tabulas beneficium hoc relaturum. Scripſi & ſignaui*

Louanij, VI. *Kal. Octob.* ∞.IↃCII.

Iuſtus Lipſius Profeſſor, & Hiſtoriographus Regius.

EPIST. XXXVI. *Lugd. Bat.*

CAROLO CLVSIO S. *Maximam* D.

OMEVM Cluſium! iure ſic appellem, & in hoc exſultem. Conſtanter & acriter valdè me amas, nec ſcriptio ſolùm tua, ſed res & munera adfirmant. Iterùm dico, Meum. Quid autem ego? hilum in affectu non cedo, & ſemper Cluſius mihi in animo, ſæpè in ore. Deus feciſſet, vt habitatione iunctiores fuiſſemus: multa conuerſatio & voluptas comitata eſſent. Nunc vetus illud obtinet, Deum ſequi & obſequi. Quæ de re Chriſtianâ publicâ in Pannoniâ nuntias, haud læta vſquequaque ſunt, aut mixta: imò nũc terrores meri, & fugæ, & cædes. Illa Alba-Regia

nuper recepta, iterùm erepta est, promiscuâ omnium qui in erant cæde, aut seruitute. Tartarorum vis ingens in Daciam irruptura sperabatur: copijs nostris exiguis, & lentè etiam paratis. Hęc longinqua: in propinquo nobis turbæ, nec bellum solùm sed seditio affligit. Eritne finem his videre, & semel optatam illam faciem Pacis? Numen faciat: ego te illîc & amicos. Quod ad scripta tua reliqua, doleo in morâ hominis, nobis amici. Monebo hercules, & vt publica ea faciat publicâ omniũ nostrûm, qui doctrinam amamus, caussâ. Illud in clausulâ iucũdum, de vigore oculorum tuorum in hac ætate, mirando mihi & inuidendo. Heu, vbi ego sum? quattuor lustris minor cæcutio; & nisi vitrea auxilia subleuent, vix legam aut scribam. Pænè indignor: & magis, quia veteres hac alleuatione vsos non lego. Atquin & illi nónne assidui in studijs? Quid dicam nescio, nisi sortem sic nostram esse: ferendam igitur, & te mi Clusi ætatem amandum. Louanij, IIII. Kal. Octob. ∞. IↃCII.

EPIST. XXXVII. *Antuerpiam.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO *suo* S. D.

EQVIDEM gaudeo patrem in tua vota, & mea consilia, consensisse. Non tamen quìa tua vota, sed quia de plano ita iudico, id fore ex re & vsu tuo. Adnitere, ne opinio hæc nos fallat; & peregrinatio tibi sit, quod debet, morum & vitæ formatio ac magistra. Inprimis autem, mi Baroni, modestiam retine, & ad te subinde, inter vana aut vaga illa redi. Sicut currus in præcipiti aut decliui fune retinentur, & se sistunt: sic animus debet, vbi quæ allubescunt aut inuitant. Talis Italia erit, ô pulcherrima & cultissima terrarum! sed Sirenas & Circas etiam illic cogita, & esse quę videas, sed & vites. Plura à me audisti, aut & in meis legisti: non itero. fiduciam in ipso te habeo, quem Natura ad Virtutem & Modestiam genuit: ne degenera, & ipsum te ac nos audi. Ecce litteras ad nostros illos, quibuscum viuere te iuuet atq; expediat: aliud si in re tuâ possim, pete, & factum puta. nam seriò te amo. Louanij, III. Non. Octob. ∞. IↃCII.
Deum ductorem & tutorem tibi precor imo corde. Scribe de viâ,

viâ, si vacat, & cùm illic eris: non deero respondere, & consiliari atque auxiliari, si opus.

TESTIMONIVM.

EXTEROS *& non plenè & certò notos tralaticia humanitas nostra commendat: quomodo non istos, qui è domo, disciplinâ, & velut sinu nostro prodierunt? In ijs est* IO. BAPTISTA BARONIVS, *vir nobilis, ingenio & moribus laudatissimus, & cui ego vel liberos meos (si Deus dedisset) similes esse exoptem. Quadriennium circiter apud me egit, ad aliena loca it visendi discendique gratiâ: comitor eum benivolentiâ, & hac etiam commendatiuncula apud amicos. Videte & excipite libentes, obsecro, vel meâ causâ: paria fecero in re simili aut aliâ, sic iustè & honestè rogatus. Testor & signo*

Louanij, III. *Nonas Octobr.* ∞.IↃCII.

I. Lipsius Professor, & Historiographus Regius.

EPIST. XXXVIII. *Bononiam.*

PHILIPPO RVBENIO SVO S. D.

ANTE dies octo scripsi, itero in occasione, quia Baronius noster ad vos abit. O quàm libens! tam libentes illum vos videte, & suscipite: quod eius & meâ causâ confido facturos. Velit contubernio etiam vobiscum iungi, & pater cupit: potestis, donec Roma vos alteri subdit. Facite, ne petere. Adolescentem nosti, commodum & comem. De patriâ, ille dicet, aut fama iam dixit. O res tristes! * κεῖται πάτροκλος. Medicina tamen illinc exspectatur, an non fera? Comitem Fontanum venturum mussant, nostros abituros: sed adhuc mussant. Intereà hostis Grauiâ potitus, Buscoducis imminere dicebatur, solitariæ iam & pęnè desertæ. Pars exercitus in seditionem (sollemni iam more) lapsa, ferrum & ignem nobis minatur. Hostes iudicati sunt decreto Principum: nondum vindicati. Vndique nobis terror: quem pellere Philosophiæ præceptis conor, & Senecam ad Heluiam matrem (de Exsilio est) publicè eo lectum. Ite tristia. in priuatis ijdem sumus. Lucio illi Apuleiano respondimus, vidisse po-

* *Iacet Patroclus.*

se potestis. Alia vix cogito, subduci tempus est & viuere nobis ac mori. Louanij, III. Nonas Octobr. ∞. IↃCII.
Hæc scripta etiam D. Pręposito sunto, ad quem ego nuper vberrimè: saluere nunc opto.

EPIST. XXXIX. *Lugd. Bat.*

FRANCISCO RAPHELENGIO SVO S. D.

EXCVSARE te silentium tuum mi Raphelengi video, an & probare? An ipsi tibi, non dicam mihi? Ab effectu hæc querela est: & nisi ille esset, non requirerem affatus istos litterarios, qui me fatigant, nec sinunt iuris aut quietis meæ esse. Sed amo te iam olim: & quia hoc, curo: & vtrumque, desiderium excitat audiendi de absente & sciendi. Sed mitto præterita, & dono: excusa vnâ re, vt emendes. Epistola quidem hæc tua copiosa, & ante oculos mihi posuit peregrinationes tuas omnes, & pleraſq; actionum. Quid secutus sis, video: otium & quietem, quâ ingenuæ mentes capiuntur, internâ tamẽ semper aliquâ actione & motu. Fratris mors reuocauit: id est Deus. pare, & fatis obsequere, & personam sustine quam imposuerunt. Deserere te hoc munus, ab auo iam trãsmissum, mihi non placeat: nisi nimis sapere tibi placeat, & ideò nõ sapere, quia nimis. Vbique locorum quies esse animo destinato potest, in Baijs medijs, in Alexãdriâ, aut Roimâ: & semper ab externis ad se redire fas, qui illa non ęstimat, & hæc amat. Ego munus meũ in publico fungor, colloquia varia & vana etiã habeo: vna ambulatiuncula in horto aut mœnibus me mihi reddit, & in Elysijs campis, id est tranquillitate, reponit. Qui locis ista alligat, fallitur: etsi eligere mallem, si copia esset: sed mores, opes, fata prohibẽt: & ijs obsequi igitur, sapientia est, & cogitare se hominem nõ Deum esse. Ipsi Genij munia sua & leges habent, nec errant liberè aut otiantur, siue operantur. Sed de peregrinatione. iudicia tua scribis super Italiâ, Germaniâ, ô mihi proba! Omninò ita est. conueniunt in illo genere, qualitate aliâ differunt quam exponis. Pauci hæc ita iudicent: tu macte. Sed & Belgicam nostram quod ante oras omnes terrasque Europæ ponis; nec aberras. illa superat, si homines, industriam, comitatem, mores, bona terræ nata aut inuecta respicis: superat, inquam,

inquam, nec Europæ ſolùm tractus, ſed orbis vniuerſi. Vnam Sinarum ditionem excipio: ſi vera, quæ de eâ famâ ferũtur. Scire iam poteſtis, quia veſtri, ſtrenuâ & felici temeritate, ad ea quoque loca, vt audimus, equis ligneis vehuntur. Vtinam pax modò hanc noſtram reſpiciat! quod vix iam vouemus, adeò non ſperamus. Alioqui huc te vocem, & viuere & mori in genitali tuo ſolo, in oculis noſtris, aut non longinquum, velim. Vide, & ſuſtine etiam: ſi fortaſſe Deus, præter ſpem aut ſpeciem, aliquid miſertus noſtri donet. Nam mihi crede, in electione cuiuſcumque loci diſcrimen eſt: aut inibi, aut à te, aliquid mali turbæque erit: exemplum à Plotino Platonico cape. Ille vir ſapientiâ inclytus, eius & quietis ſuæ ſtudio, Romam reliquit, Campaniam elegit, aëre, copiâ, fructibus, delicijs celebrem: & vbi pax immota (illo quidem æuo) & nec metus belli erat. Iuit, inſedit: quid factum? Conſilia humana Fatum vicit, morbus totum corpus inuaſit, membra & nerui riguerunt, oculorum orbes caligarunt, & putre denique corpus ſanguinis corrupti vitio contabuit. Vbi es humana prouidentia, aut electio? Vides, mi Raphelengi, hominem humana vbique pati: locum non excipere, ſed animum vincere. quem fas ſemper exerere, & quietum ac modeſtum ſine peruicaciâ aut arrogantiâ ſapere: quod facere te hortor, & pro amore in te rogo. Itaque de domo aut alijs, nihil feſtinare ſuadeam: maturè & circumſpectè omnia. quia, vt ille ait,

* —— φεῦγε μὲν οἱ ταχεῖς, ἀλλ' ἀσφαλεῖς.

* *haud tuta celeris eſt prudentia.*

Vale mi Raphelengi, cum fratre Iuſto, & ſorore. Louanij, XI. Kal. Nouembr. ∞. IↃCII.

De Pollione noſtro, triſte quod nuntias. De morbo audieram, à te de morte. Singulariter amaui: ſed quid eſt? decuriam amicorũ hoc anno amiſi, ſiue præmiſi. nam & ego ſum in curſu.

EPIST. XL. *Bruxellam.*

GVILIELMO GREVIO *Nepoti ſuo ex ſorore* S. *optat.*

ACCEPI primas tuas litteras, quibus oſtendis aliquid in ſtudijs doctrinæ te promouiſſe. Pro ætate, non queror: induſtriam adiungi velim & incitatum animum, qui ad optatam nobis metam te ſiſtat. Quid metam? ſemper hîc in viâ ſumus,

& nulla ætas, nullum ingenium, ad vltima Scientiæ aut Sapientiæ perducet. In Deo hæc perfectio: sed nos nempe imago eius sumus, & ideò conniti pro captu & viribus debemus accedere proximè, & referre illum in nobis ac circumferre. Nam in exemplum nati sumus, atque etiam auxilium: iuuare nos, tum alios, & æstimare vnius corporis membra esse. Magnus hic orbis est: sed vna ciuitas. conspiremus in mutuos vsus, & ad hanc rem à pueritiâ aptemur. Tua nunc hæc ætas est: in palæstrâ es ad discendum & exercendum: excitare ô meus sanguis, & me quoque ad instar aliquod propone. Vides tot annos non mihi vixisse? laborasse & operatum esse reip. voce aut scriptis? Sequere. atque vtinam diem videam, quo spes alluceat te per hæc & illa veterum vestigia iturum: mea, & pænè me, impendam, vt apparatum & instrumenta habeas, id est libros & doctores. Etsi de doctore, iam curauimus: habes virum præter vulgus doctum, & tui amantem: audi, sequere, obsequere, magis quàm ipsos quibus vitam debes. Nam nasci vulgare est: benè institui, altera vita est, & quæ ad Æternam illam ducit. Vota apud te DEVS OPTIME MAXIME concipio, vt quoniam me prolis exsortem voluisti, hunc è Sorore (nimis olim carâ) nepotem ad veræ doctrinæ & virtutis studia ire patiaris, aut potiùs impellas: nobis solatium & gaudium, tibi gloriam, alijs lumen & exemplar. Fiat, & tu contende, aut iamnunc abdico te & sepono. Louanij, prid. Non. Nouembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLI. *Francofurtum.*

MARQVARDO FREHERO Iᶜᵒ.

MELLI mihi fuit, ex interuallo regustare tuum amorem. Coràm feceram, cùm Francofurtum me sors duxisset, etiam mox per litteras: abiunctio deinde longior, & meæ an tuæ occupationes interpellarunt. Si vis, illuc redeamus, & exserat se amor qui in pectore hæret, & ab eo numquam exsulauit. Tua interea vidi, & in ijs te redamaui: præsertim illa Historica, quæ blattis & tineis tu inuidisti, & è situ eruta illustrasti. Vtile opus, magis quàm hæc recentia, & turbida quædam velut musta, passim nobis à crudis studiorum ingenijs propinata. Ad metam litteræ

litteræ properant, & nimia fæcunditas iſta vires exhaurit, ſi luſtrum etiam vnum alterumque ea manet. Conſtantij SAPHYRVM iamnunc luſtraui; nec de gemmâ aut ſculpturâ ſcio, te in eâ artificem & variè cælatorem agnoſco. Benè, quod noſtro VELSERO inſcripſeris: & cui amanti magis aut intellegenti? Vir magnus eſt, vel maximis comparatus; & BOÏCA eius iam vidi, nondum legi. Nos neſcio quid philoſophamur, quò ætas & Genius ipſe meus vocant: nec ſcio an alijs, ſed nobis (ô quàm decorè aut vtiliter per hæc tempora!) philoſophamur. Te amamus, & amaturi ſumus, melioris animi & iudicij virum: tuam etiam MARGARIM, tuâ, Vtenhouij, eius cauſsâ. Talis illa mumulierum non mereatur? diſſuauior: ſed caſtè,

—— fuge ſuſpicari
Cuius vndenum trepidauit ætas
Claudere luſtrum.

Louanij, poſtrid. Non. Nouembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLII. *Antuerpiam.*

HERIBERTO ROSWEYO *Soc. Ieſu.*

LEGI tuas, & quæ è Batauis adiunctæ. Ad has in tempore reſpondebo: nec enim eſt quod properari poſcat: & ipſe ſcriptor mihi notus, non quidem ab illâ primariâ notâ, & amicitiæ teſſerâ, id eſt Pietate. De Oratiunculâ illâ meo nomine vulgatâ, quid miri eſt? ſic lubet ludere, imò non ludere ſed rem facere, Typographis dico. Eorum inſtinctu, & malitiâ deinde ſe præbente, præclari iſti fœtus oriuntur: quorum illum nuperum quàm in ipſo pęnè partu exſtinxerim; Epiſtola mea ad Senatum Francofurtenſem, iam publicata, dicit. Simile in iſto, inquies. Non faciam, quis finis ſit? magis prouocem his oppoſitionibus: nec meum eſt, ſed Principum, his falſimonijs mederi. Gladio aliquo iuſtitiæ reſcindenda iſta, igne Decreti abolenda erant. Viderint, qui habenas tenent: ego per iſta non deterior, ne turpior quidem apud eos, qui ſanâ mente ſunt, nec nobis iniquâ. Aliorum ſcabies facilè ſuſcitatur his frictionibus, fateor: pruriant, garriant, me pauſarium non habebunt. Sed de Oratiunculâ illâ, ſcito etiam non nouum eſſe, eſt ipſa, quæ ante decem annos publicata,

blicata, à me refutata aut reiecta publicè in ijs De Cruce, AD LECTOREM. Vale V. R. & P. Rectori ex animo à me ſalutem. Louanij, poſtrid. Non. Nouembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLIII. *Brugas.*

ANTONIO RICHARDOTO *Suo* S. D.

EPISTOLAM pro te vidi, & ſcito me doluiſſe. Nam auidè te exſpectabam, iamdiu non viſum, & in animo tamen geſtatum: atque ita me Deus ille in ſuperis locis, vt ego te hîc conſpici cupiebam. Cauſſæ tamen dilati aduentus (non enim omiſſi) quia iuſtæ videntur, querelam deſino: & gratulationem potiùs nuptijs amatæ ſororis tuæ ſubiungo. Deus velit eas lætas fauſtasque nunc & in poſterum eſſe, & proles etiam, familiæ veſtræ fulcra. Floret ea, & cæleſti quodam fauore adſurgit: ſit longùm, & vos quoque pergite mereri. Apud me non es, ſed meus etiamnunc es: itaque curo, & monita mea interuenient, ſpero, ſemper grata. Ab animo certè meo debent. Vidiſti Italiam & oras exteras, multa in frontem pulchra & ſplendentia: redi identidem ad vera & interna bona, atque ijs te exorna. Aula te nunc habebit, aut habet: aula: id eſt, quantumuis compoſita, in quâ vana & ſplendentia multa ſint, ſed fallacia, & fuco quodam circumlita, introrſus vacua aut praua. Noſce, & te excerpe, & vera ac ſolida illa affecta. O quàm me, magis te, iuuet, ſi Senecam interdum legas ſeriò & ſcrutêre! Quàm ille te firmet contra lapſus, & res omnes pretijs ſuis doceat æſtimare? Scio in hac ætate non omnia talia guſtum habere: ſed te volo eſſe eximium, & à meâ diſciplinâ profectum, incedere velut exemplum. Bella eſt elegantia, & comitas iſta morum: quis neſcit aut negat? ſed Sapientia ſi adiungitur, & eius mater aut proles Modeſtia, quantum decus accedit? ſic vt auro, à gemmâ. Satis. audi & ama iſta, ac me tui peramantem. Louanij, XVI. Kal. Decembr. ∞. IↃCII.

EPIST.

EPIST. XLIIII. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO *semper-suo* S. D.

MIRATVM me in lectione litterarum tuarum dicam? licet. Miratum? non licet: & tamen pænè debui, in opinione de me, tam alienâ à me, & quæ in somnio caput hoc numquam inuasit. Ego migrem? ego Leodicum? Nam quâ caussâ? Res turbidæ sunt, scio: nisi mutamur, deteriores etiam futuræ: quid tamen ad me eximiè, vt ante alios, & prẹter alios, de abitione cogitem, id est fugâ? Ego verò à virâ potiùs, quàm vt sic ab honesto, & illâ CONSTANTIA, quam stilo illustraui, & factis non obscurabo. Heus tu, quisquis tibi auctor (bonâ veniâ etiam illius, quem reuereri me scis) à vano sumpsit, aut à se pænè dicam, sumpsit. Nihil rei, nihil sermonis, nihil cogitationis. Possum me purgare planiùs? Vnum hoc nunc tamẽ habe. Si res prorsum ad vltima, id est ad incitas eant, libenter me Leodicum sedẽ refugij lecturum, vrbem Deo & religioni iamolim amicam, in me pronam, &, quod inuitet, viris aliquot egregijs prudentiâ & doctrinâ infessam. Habes de istâ re, & quidem Sibyllæ dictis veriora. De publicâ, piget scribere, an & pudet? Vbi consilia? vbi vel vmbra prudentiæ, in re præsertim militari? Ridentur vetera, & nos eorum amantes: sed ij qui amplectuntur, quàm nos rideant, & verberent etiam, vides. Audi iterùm aliquid, quasi à Sibylla aut Marcio. Quamdiu in nouis istis, id est vilibus & prauis manemus, melior & altior Fortuna nos despiciet, nec Victoria alas suas huc vertet. Vrgebunt illi, *accipiter velut molles columbas.* Omitto non læta: cum Pantino sentio, nec sentio: remedio locus est, si morbum agnoscit æger. Si non, Belgica per me esto

Victima nil miserantis Orci.

Vale mi optime, & constantem me inter omnes fluctus (ita videbis) constanter ama. Louanij, XIII. Kal. Octobr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLV. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO SVO S. D.

VENISTI? mihi nondum, nisi videro. Ades, amplectar te & teneam, & animos ac sermones vnà misceamus. Quando facis? anni mihi, dies: magis quàm pupillis istis

——— *quos arcta premit custodia matrum.*

Gaudeo Italiam, Hispaniam, Galliam, denique & Batauiam vidisse: in hac vltimâ illum quem amo. Et amari te ab eo nuntias, volenti & credenti. Sed ista & alia coràm: reperies me capite semicanum, aut certè mento: animo fortem, corpusculo, vt soleo, id est Augusti verbo *betizantem.* Veni, veni, refice hoc, & illum auge: quod rogare me dicam, an iubere? Vtrumque, neque vindictâ etiam te manumisi. Domum meam nosti: caue in aliam, & hoc quoque ego ac mea (nosti illam Iunonem? ne offende) iubemus. Louanij, postrid. Kal. xbris, ∞.IↃCII.

EPIST. XLVI. *Harlemum.*

GERARDO BVYTEWECHIO S. D.

LAETVM auditu de tuâ prole, mihi qui amicus sim, quid tibi qui pater? Euge! hæc crescat, viuat; & aliam, ac melioris quidem sexus, Deus ille communis omnium parens donet. Ecce fructum & gaudia coniugij mi Buytewechi: sed & curas suas trahent, & habe istam vt vsu, non mancipio datam, si sapis. Homo hominem genuisti. EPISTOLAS meas non displicere illic, hoc satis est: probari omnia, ægrè id mihi probes, in isto æuo, & dissentiente plurifariam sensu. Sed satis, non carpi: & si faciant, quid ad me? Animum & me bonum fuisse cùm scripsi, hoc scio: & suis quæque temporibus aut hominibus aptasse. quod vnum in Epistolâ arbitror requiri, à prudente quidem & æquo censore. Alij abeant, valeant, vapulent vel cum LVCIO nostro. Sed heus, vos nunc nónne feroces? omnia rident, terrâ, mari: vtinam nos vnà, & vetus illud corpus iterùm simus. Io. Wouerius valdè mihi amatus iuuenis te quæsiuit Lugduni nostræ, non reperit: exspecto reducem, & is quoque (ne nescias) ædes meas insedit.

ſedit. Fructum rettulit, virtuti amicus, vanitati extraneus, & qui rectâ viâ ad Sapientiæ ædem tendit. Vellem vidiſſes. At Nic. Micaultium noſtrum nec vltrà videbis, qui abijt

Illuc, vnde negant redire quemquam.

In flore æui fuiſſe ſcis, in viâ ad honores, & merebatur: Deo viſum eripere, & apud ſe (ita ſperare Pietas eius iubet) habere. Nos trahimus animam, & animo etiam ſtamus; corpuſculo languidi, nec de firmitate aut diuturnitate eius ſpondentes. Sed hæc quidem, non dicam cura, vix cogitatio me vltrà habet: ſto ſuccinctus, & cùm innuerit ille Imperator, viam carpo. Sandelinus ille noſter nuperrimè apud me fuit: ô ſi tu vnà! ſed libèns vidi, & in eo Batauiam, ſemper mihi caram reguſtaui. Valere te cupio mi Buytewechi, quod ex te eſt, ex quâ eſt, ex quibus tu & illa eſtis. Louanij, poſtrid. Kal. xbres, ∞. Iɔcii.

EPIST. XLVII. *Bruxellam.*

Remaclo Roberti S. D.

Male & per errorem hoc conſul Grauienſis, quòd binas ad te dediſſem. ego verò nullas, neque occaſio fuit: & abeunti ſalutem ad te ferendam mandaueram, & ſiquid haberes de republicâ vti ſignificares. Feciſti in his litteris: atque vtinam lætiora fas nuntiare! Hoſtes abierunt è prouinciâ ſpoliatâ aut vaſtatâ, cum prædâ & famâ: nos quid? ſumus qui fuimus, id eſt tardi, frigidi, & quæ nec ad te ſtilo committam. In animo iſto dolet, qui video fundamẽta ſtatus huius labi aut ruere: in promptu tamen remedijs, ſi conſilia alia eſſent. Sed omitto: ego ſeriò mecum philoſophor, nec meditatione ſolùm, ſed ſtilo. Per vetera Sapientiæ præcepta eo, & animum ijs ad virtutem & robur firmo. Reuerà etiam, cùm altiùs mentis oculos ſuſtuli, quid aut quantula hæc Belgica noſtra eſt? cultiſſima terrarum fateor, quas ſol videt: ſed terra, ſed regiuncula, & non dicam cum Vniuerſo, ſed cum Terrâ ipsâ comparata, portiuncula exigua & velut punctum. Quot tu mutationes, clades, cædes, in noto & ignoto orbe cottidie committi cenſes? Vulgaris ea mens non attendit: quæ in ſe non abit, nec ſcit Mundum hunc ciuitatem ſibi eſſe. Mihi eſt, & amplector, & curo: ac ſi mala fata hanc partem premunt

aut

aut perdunt, multum soli supereſt quod colam, & vbi tolerem hoc quicquid reliquum eſt vitæ. Queri aut angi, ſtultum eſt: ſpecto, exſpecto, & Deum ſequor. Is te mi amice, tuam & tuos ſeruet, & mutuum inter nos amorem. Louanij, poſtrid. Non. Decembres. ∞. IↃCII.

EPIST. XLVIII. *Antuerpiam.*

MARCO ANTONIO PEREZIO V. N.

ADMIRATIO ſimul & dolor me inuaſerunt, cùm de inopinato obitu ſoceri tui, & amici noſtri, intellexi. Heu, quid homines ſumus? quàm fragilis materia, vt leui caſu rumpenda? Profectò exempla iſta cùm è proximo incurrunt & nos feriunt, meritò animum ad conditionem & cognitionem ſui aduocent, & quàm totum hoc viuere lubricum ſit, breue, nihil. Annus iſte vnus in domo tua funera duo habuit: quis ſcit an ante exitum non etiam habebit? Voueo, ſed non ſpondeo: & omnibus euenire, quòd illis, poteſt: cogitemus, & in iſta armemur. Vnde? à conſtantiâ, id eſt à Deo, cuius ſupremæ voluntati noſtram hanc ſubiungi par eſt, & æquis oculis animisque ſpectare, quicquid iuſſit. Imò & ſubire quicquid iuſſit: non aliter quàm cælum, ſtellæ, aër, maria, & omnia illa magna opera parent conditori. Cleanthis illi verſus, pro verâ & Chriſtianâ ſapiẽtiâ ſunt ſcripti:

Duc me parens, celſique dominator poli,
Quocumque lubitum: nulla parendi eſt mora.
Adſum impiger: fac nolle, comitabor gemens.

Hoc faciendum cùm alijs, tum tibi Vir nobilis, qui inter huius æquanimitatis & conſtantiæ exempla, in familiâ Patrui tui es eductus. Vis aliquid illuſtrius? ille vir mihi ſemper viſus verum Philoſophum agere, & vitâ, non ſermonibus, exprimere eum atque referre. Obſecro te, in hoc triſti caſu oculos mentis nunc eò flecte: & poſt Deum, robur ab illo etiam ſume. Fateor cum incommodo familiæ ereptum vobis hoc fulcrum, & prudentia eius vario vſui domi foriſque etiam eſſe poterat: quid tamen eſt? nónne ſupremus ille pater & rector etiam viuit, & curam tutelamque ſuorum gerit? facit & faciet: magis, ſi in illum ſpem & cogitationes tuas mittes. Iam vos ipſi eò æui & experientiæ veniſtis,

veniſtis, vt per vos ſapere, regere, & per veſtigia maiorum virtutem colere, rem non negligere, poſſitis. Itaque minore dolore hoc ferendum, quòd tunc ablatus ille director eſt, cùm operam eius neque ætas, neque prudentia veſtra, nimis requirebat. Vnus eſt Baronius meus, cui immaturus perijſſe videri poteſt: ſed nec poteſt, quia ſcio te in locum eius vicemque venturum. Duo nomina, Fratris & Patris, ſimul ſuſtinebis: atque vt facias, amanter te rogo. Etiam illud, vt tu atque vxor optima animum erigatis, & ſolatium non à ratione ſolùm, ſed à liberis etiam veſtris capiatis: quos Deus plures dedit. formate & dirigite in eius gloriam, & veſtrum & familiæ gaudium atque honorem. Ita ſit, & idem Deus illos vobis, vos illis longùm ſeruet. Vale Vir Nobilis & Cl^me. Louanij, VI. Idus Decembr. ∞. IↃCII.

EPIST. XLIX. *Bononiam.*

IOANNI BAPTISTAE BARONIO *ſuo* S. D.

INOPINATA multa homini, & ſæpè triſtia: in te diſce. Parens, heu, tuus vltimùm tibi viſus abijt: & ſubitò abijt, dolore & admiratione nobis relictâ. Etſi iſtâ quidem vix mihi. ſcio enim Parcam adſiduè ſuper caput ſtare, & ictu aliquo percellere nec exſpectato. Sicut in aquâ piſces ludunt, in aëre aues volitant, ſecuræ inſidiantium: at illos hamus adducit, iſtas rete inuoluit: ſic fit nobis, & aliquem è magno grege adſiduè venatur & capit pallens hæc Diua. Solare te à communi lege, ad quam aptari nō Sapientia ſolùm ſuadet, ſed Neceſſitas cogit. Si æquanimus fers, ſimplex dolor eſt: ſi aliter, alter. Bononiæ te nunc eſſe, ſperamus: ſi es, fruere optimo illo veteris tui contubernij conſortio, & dolorem alloquijs etiam illis mitiga aut merge. Rubenium ama & adhære: bono tibi erit, hoc mihi crede. Ceterùm amiſſo hoc fulcro, non diu peregrinari aut animo indulgere ego ſuadeam: veni, tua cogita & cura: ſed & de Tuâ aliquâ cogita, ſi animus & amici ita ſuadebunt. Certè in Italiâ deſidere te nolim, etiam illâ inſidiatrice aliquâ: per Germaniam redi, & hanc obiter luſtra. Iſta mihi nunc viſa: ſed ſic vt te audiam, ſiquid melius inijcis: tu Rationem ſemper, & cum illâ tuos. Louanij, V. Idus Decembr. ∞. IↃCII.

EPIST. L. *Montes.*

IOANNI BVISSONIO *Consiliario & Syndico Ordinum Hannoniæ.*

EPISTOLA tua subita & inopinata ad me venit, sed, Fidem testor, grata. An non à te esset, quem animi tacito iudicio & sensu iamdiu æstimaui, & addam amaui? Bona & certa de te Fama hoc fecit: nec nisi opinio Virtutis tuæ affectum illum mouit, nunc augendum & asserendum à tam amicâ tuâ scriptione. Quàm volupe mihi est accessisse: vel eo fine, vt inclusum illum meum aperirem, sine occasione non reuelãdum. Vt pyrites gemma ignem in se habet, sed non nisi attritu exserit: sic in me, habui amorem, sed tacitum, litteris tuis nunc eductum. Non fallam te vir optime: qualem vel epistola hæc mihi adfirmat: non, inquam, fallam, & te, Virtutis ac Doctrinæ sacerdotem, cum vtraque illâ seriò & fortiter amabo. O vtinam in miserâ patriâ multi hoc ingenio, & habitu sint!

—— quis pudor, & Iustitiæ soror
Incorrupta Fides!

Quàm plerique vela gratiæ, commodo, deterioribus affectibus pandant, scio te mecum videre, & dolere. Belgicum ingenium è Belgicâ migrat, & Felicitas etiam illa vetus vnà migrat, fortasse non nisi votis reuocanda. Sed à re, id est à te non abeo: animo animum tuum amplector, & *Dexterâ* hac fidem *Sanctæ amicitiæ* consigno: nouam, sed vt ille ait, animis deinceps non annis æstimandam. Ita esto. & Fides iterùm aduocata *Epistolam* claudat, quæ cœpit. Louanij, XVII. Kal. Ianuar. ∞. IↃCII.

EPIST. LI. *Bruxellam.*

HENRICO VAN ETTEN, *Præsidi Ærarij Brabantici.*

QVEM hîc vides, virum eruditum & in Theologiâ acrem, caussam scriptioni meæ præbuit: voluitq; cõmendari in re, quam ipse dicet. Rogo audias, & si æqua aut publicè profutura (neque enim aliter) exponet; rogo & audientiam & fauentiam ei accommodes. De inualetudine tuâ nuper aliquid, sed obscurè

& per

& per nebulam audiui : credo podagram fuisse, atque vtinam fuisse. Reliqua in te integra : ætas, corpus, animus (quod caput est:) & hic præcipuè nobis colendus. Quò magis adolescimus, id est matureſcimus, videmus nihil in homine, præter interiorem illam partem, colendum: & reliqua adiuncta, vt verè & fortiter dicam, nugas & fumos esse. Quid si nec esse? solum illud æternum EST; & nos cùm ei accedemus, & conabimur Virtute assimilari. Illa æterna, & in parte nostri æternâ: quò eo? Exorbito? vix apud te, quem scio & meditationum, & lectionum, & sermonum talium esse. Quid tuus Filius nunc in Galliâ? ibi hæret, an reuocas? Ipse quoque matureſcit, & admoueri reip. (vtinam tranquilliori!) vtiliter potest. Faueo illi, te Nobilis & Clme Domine æstimo atque amo: deberi mihi alterum vtroque nomine puto. Louanij, XVII. Kal. Ianuar. ∞.IↃCII.

EPIST. LII. *Augustam.*

MARCO VELSERO S. D.

HISSTORIAM BOÏCAM tuam vidi, etsi non te mitente. Hoc culpo leuiter, illam toto pectore & ore laudo. O dignum priscâ gloriâ gentis scriptum! dignum optimis his Principibus! dignum & te mi Velsere. Exemplum præiuisti hodie ad id genus scripti: quod iacuisse à mille ampliùs annis boni arbitri fateri debemus, vtinam per te excitandum! Sed præiuisti, iudicio, industriâ, stilo. Vna Præfatio tua de opere præiudicat, plena prudentiæ, & decoræ grauitatis. Hæc ego amicus, sed non vt amicus: boni peritiq; iudices omnes dicent, quos in hoc æuo optem tibi magis, quàm præstem. Quòd autem meum breuiter nomen inseruerit, pluris æstimo, quàm si ab alio, & alibi diffusam laudem. Gratiam tamen an dicam, ambigo. si enim à iudicio tuo est, debuisti: si ab affectu, ego debeo. Vtcumque, amo te amantem, etiam nec amantem. ea est tua Virtus. Louanij, postrid. Natalis Christiani, ∞.IↃCII.

EPIST. LIII. *Coloniam.*

GODEFRIDO HERTELIO S. D.

LITTERAE tuæ tardè mihi delatæ, etsi viæ haud magno interuallo. Vide autem an non promptè respondeam, iamnunc vt eas legi. Amo enim vos tales, mi Herteli, bonâ & erectâ indole, ad bona & recta euntes. Itaque & coràm vel iuuare voce & lectionibus soleo, vel animo fauere certè, & monitione etiam, vbi locus, excitare. Idem litteris, sed breuiter facio. Vidisti viam, quâ ad Honorem & Virtutẽ eatur? insiste obsecro, nec praua aut plebeia iudicia diuertant: quę nimis hodie ad vanitatem aut leuitatem inclinant. Eadem ad superbiam & confidentiam: cui nullum fulcrum aut fulmentum, nisi ab inscitiâ est, & destinato optimorum contemptu. Quàm te iuuabit grandiorem, & æui iudicijque maturiorem, solidiora hæc amplexum esse? fruges, non flores captasse tantùm? Facere te hortor toto animo, & eodem amo: quod etiam hoc *Testimonio*, vti cupiebas, expressi. Louanij, v. Idus Ianuar. ∞. IↃCIII.

QVI HAEC LEGETIS,
SALVTEM ET OFFICIA MEA DEFERO.

INTER *exteros, qui in hac studiorum sede egerunt,* GODEFRIDVS HERTELIVS, *gente Germanus, fuit, commendatus mihi ab Ill*ri *Viro Matthæo Wackhero, sed qui ipsus se vitâ & moribus magis deinde commendauit. Vixit enim hîc circiter triennium modestè quod ad vitam, industriè quod ad studia: & vtrobique vel bonam vel excitatam indolem ingeniumque ostendit. Iuris studia scopum habuit, adiumenta & directionem etiam litteras: atq; his caußis honorem inter consortes studiorum assecutus, Collegio studiosorum Juris præfuit* Decani *titulo ornatus. Ab his initijs ad altiora progressurum, spes & votum nostrum est: fauor modò bonorum adiuuet. quem impetratũ ei cupimus; atq; vtinam aliquid faciat gratia nostra! Rogamus, & saluere vos iubemus, qui hæc legistis. Louanij,* VI. *Idus Ianuar. anni* ∞. IↃCIII.

Iustus Lipsius, Professor, &
Historiographus Regius.

EPIST.

EPIST. LIIII. *Mediolanum.*

ERYCIO PVTEANO *suo.*

VIDI, vidi Septalij noſtri ad Ariſtotelem, ô gratum mihi & æſtimatum opus! Fateor amaſſe virum, in te & me amicum: ſed nunc pernouiſſe, qualem prædicabas. Fruere illo, me inuidente: cui hoc mali fati eſt, non habere conſortem ſtudiorum aut ſenſuum meorum, & ſolitarium pergere hanc viam. *Stoïca Philoſophia* valdè nunc exercet, quam Senecæ illuſtrando præmitto, & ſeorſim edo. Alio æuo bona hæc fore, opinor aut ſcio: quid iſto, quod in dies magis (apud nos quidem) ab omni Honeſto abit, neſcio: & periclitabor tamen, & Bona docebo atque ingeram, etſi non alio quàm conſcientiæ huius fructu. Ill^mum Borromæum ſic in me eſſe, intra me gaudeo, & laudibus de illo tuis applaudo. Sed tu Romam? excurſus opinor cauſsâ, nec manſionem te cogitare. I & redi, vbiubi ſemper meus. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCIII. S. D. Audeiantius tuus.

EPIST. LV. *Antuerpiam.*

GEORGIO VVENO S. D.

PRAETER opinionem Antuerpiæ manes, non præter animum meum, qui hoc probat, & conſilio ſtatuiſſe parentem tuum cenſet. Ætas tua iam matureſcit, ingenium adeſt; forma iudicium apud illum, quo meliorẽ directorem nec votis optes. Cùm feceris, & in viâ rectâ fueris ſtudij præſertim, cui manciparis, Legalis: age, ad nos redi, & reliquum illum curſum decurre; cum tuo & reip. bono. Nam & hanc in oculis tibi eſſe cupio, & ciuem te adflictæ Belgicæ cogitare. Habes & in contubernio patris cognatum Bylium, bonum adiutorem, & honeſtis omnibus artibus iamdiu tinctum. Ab hoc quoque hauri & diſce: atque vt poſſis, Modeſtiam retine (habere enim mihi adhuc viſus) nec opinio vlla te inflet, peſtis omnis profectus. Sicut in Iberiâ equas à vento Fauonio concipere aiunt, ſed euanido fœtu: ſic in iſtâ re fit, & qui ab Opinione blandiente grauidi, ſerium nihil

pariunt, tumidi tantùm vtres. Audi me, & ama. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

Ciceronem te non deponere, hortor, & ſtilum interdum ad eum conformare. Parenti ſcribere nunc prohibeor: breui faciam. Saluta hunc, & illam: atque vnà Robianum & Schottium, ex animo.

EPIST. LVI. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO V. C. S. D.

ONVNC denique Septalium mihi notum! ô virum in animo iſto magnum, & probum! ô mihi etiam amicum! Nam hæc omnia Commentarij tui me docuerunt, nunc denique inſpecti, etſi nondum te mittente. Sed vidi, & mediusfidius digna omnia ſummo illo viro, cui lucem prefers, & Philoſophię ſimul ac Medicinæ; cuius vtriuſque multa pars & arcana in libris ijs tractatur, & Septalio interprete egebat: id eſt vtriuſque illius perito, & Philologiæ ſimul: quam decorè & vtiliter his quoque iuiſti intermixtum. Itaque eruditum & elegans ſimul opus eſt; & quiſquis in hoc Senatu noſtro talis eſt, iudicio meo *conſciſcet conſentietque.* Macte amice! & veteris Italiæ gloriam aſſere, & oſtende magnas illas animas viuere in poſteris etiam & ſpirare. Vtinam pluribus! & longa atque immota iſta Pax veſtra excitet ingenia ad optimas artes, non ad laſciuiam aut vanitatem, quò eunt. Atquin & mihi partem laborum tuorum inſcripſiſti, & ea ipſa quæ *de Labore* erant. Gratum cenſes? ita, vt nullum munus ſuprà poſſit: & quid ſuper immortalitatem ſit? quam etſi à meis quoque ſcriptis ſperare leuiter poſſim, fidentiùs iam cùm tua accedunt: tua, quæ *ære perenniora* cenſeo: & talis meus in te amor erit, debitus nunc, anteà delatus, aut tuo certè relatus. Salue, & ita ego ſim ſaluus. Louanij, XVI. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

EPIST.

EPIST. LVII. *Lugd.Bat.*

CORNELIO VAN-DALIO S. D.

NVMQVAM ego te mi Van-dali, nisi in litteris istis vidi, & iam autumo nouisse. Quid? exteriorem te? minimè, sed ipsum te, id est interiorem animi faciem, ita me Deus, pulchram & Honesti illius amantem. Itaque iamnunc amo, & faueo: hortor etiam in optimâ viâ, quam inisti, recto & indefesso pede pergere, tuo bono, aliorum exemplo. Quidni exemplo? supra vulgum aliquid vos tales estis, quos Deus vt lumen prælucere voluit, & ingenij dotes has frui dedit: ne aliò vertite, nec insitas scintillas & * ἐναύσματα per neglectũ suffocate. Scribis cogitare te aliquid in Agellium, & subsidium postulas. Illud laudo, & scriptorem ego habeo purissimæ latinitatis, & planè ad comœdiam antiquam: istud non abnuo, sed nunc differo, à valetudine & otio negatum. Illa tristis, hoc nullum est: perge tamen, nec differ. & quid Tiresiam etiam quæris, cùm Phœbum illic habeas? Adi, & consule: scio posse, imò & velle. Louanij, XV. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

* *fomites.*

EPIST. LVIII.

ILL^mo ET EXCELL^mo *Principi* CAROLO *Duci Croyo & Arschotano.*

NON epistolam à te, sed thesaurum accepisse mihi visus sum (ex animo scribo) in tam effusâ declaratione beniuolentiæ tuæ, ô quo meo merito paratæ! Itaque ego illam inter reposita & cimelia habeo, atq; habebo, quamdiu in humanis rebus ero. Gratitudinem referre me quî sperem, aut quî possim? nisi solo animo, quem tu magne Princeps non vinces; & si ille quod vult possit, beneficia tua profectò æquet. Nunc voluntatẽ in solutum defero, atq; etiam ipsam rem, quanta ea ab ingenio aut stilo meo (hæ meæ opes & dotes sunt) manare vnquam potest. De republicâ vix aliud scribere licet, quia nihil in eâ aliud. Languemus, medicina quæ solet: hostiles minæ & apparatus. In Embdanâ regione omnia illis prospera, & confectum pænè iam bellum.

bellum. Propugnacula & arces, quæ Comes ſtruxerat ſiue munierat, ſpatio trium ſeptimanarum omnia expugnata: & ipſe regione ſuâ exactus, ad Imperatorem iuiſſe dicitur, ſuppetias rogatum. In Hiberniâ pergunt Angli reliqua ſibi ſubijcere, coloniâ etiam nouâ deductâ, & opido ad mare Hiſpanicum exſtructo. In Galliâ turbæ, vt aiunt, & coniurationes: atque illa nobilitas, neſcio quo fato, videtur nunc ad res nouas & fidem exuendam prona. An is quoque inter fructus bellorum ciuilium eſt? Noſtri ſeditioſi in ſuos aliquot ſæuierunt, & atroci morte affecerunt, conuictos (vt aiunt) conſiliorum cum Principe & occultæ pactionis. Leodici Princeps Elector exſpectabatur, aut iam venit. Alia in publicis non habeo: in meis totus in Philoſophiâ ſum, ſed in Stoïcâ: & Senecam, vtilem vitæ magiſtrum, conor illuſtrare. Valetudo moram ſæpè facit, per hiemem ferè mihi triſtior: quæ vt benigna te, Ill^me & Excell^me Princeps, longùm reſpiciat, intimum eſt meum votum. Louanij, xv. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LIX. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO *ſuo.*

DEVS benè. gratias grates agimus, pro ſalute præter opinionem quorumdam redditâ, etſi ex omnium voto. Meo, hoc ſcis. O quàm timuimus! nec fatum mihi ab annis aut luſtris triſtius fuiſſet. Amo enim toto pectore te, quia Honeſta amas, ad quæ à Naturâ videris mihi factus. Sequere illum in te Deum; nihil abripiat, quacumque ſpecie aut illicio: fuge iudicia & vota communia, aut abducent ab illo & illis. Videre te & amplecti validè & calidè cupiebam: ſed tempero, atque etiam tibi impero quieſcere, nec ante veris teporem te commouere. Ego ad Senecam aliquid molior, & *Manuductionis in Stoïcam Philoſophiam libros tres* præmitto. Item, *Phyſica Stoïca libros tres*. Opus iſtis, aut totus Seneca ſeponendus. Quid ſperem tamen his hominibus hęc me probaturum? paucis, & perpaucis: & hoc ideò, quia bona & non in pompam erunt. Vanitatis nunc regnum. Tu vale magis magisque mi Woueri: & ſcribe ad reſponſurum; ſed cum exceptione, Si vacabit. Scis quàm ſæpè, imò ſemper, diſtinear: &

iuro

iuro tibi confici me; quòd confectus non sum, mirari. Louanij, XIIII. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LX. *Bruxellam.*

IOANNI SEVRIO S. D.

DIGNITATE te auctum ab optimo Principe, animo meo gratum est: & gratius, te nuntiante. Significas enim hoc ipso, censere te lætitiam conceptum ex eo à me iri: nec falleris, concepi. Mereri enim te arbitror, & posse ac velle patriæ prodesse, & Principibus operam nauare. Certè mi Seuri dona à Naturâ, id est à Deo, habes: sed & probitatem obseruaui: illa exsere, & hanc adhibe; tuo & publico bono fiet. Legatum non volentem te dimittere, hoc opinor: atque vtinam ille optimus optimum aliquem, & tui similem, in locum possit surrogare. Multa requiruntur: & quædam etiam, quæ fortasse non opus requiri. sed præsens hic status rerũ suspiciones mouet, & circumspicere omnia cautè iubet. Quando autem abis? quandocumque, à me nõ abi, & animo semper, interdum & litteris iungamur. Sed & cum consorte aliquâ tuâ nunc iungere: quò ætas vocat, & certa nunc dignitas inuitat. Ipse bonus ciuis esto, & relinque qui post te sient. Ego philosophabar in his turbis nostris, aut & periculis: nam paullatim ad limitem hæc loca admoueri, non ignoras. Loca etiam per se parum tuta aut firma: quid refert, si Deus tutela nostra est? Ego ita confido, & vt tua sit, corde eum precor. Louanij, XIIII. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXI. *Leodicum.*

IACOBO CARONDELETO *(quod Deus approbet) recèns Præposito Leodicensi designato.*

MAGNVM equidem gaudium sensi, in dignitate quâ recenter es auctus. Merebaris eam, aut aliam vel grandiorem, virtutis & prudentiæ tuæ prærogatiuâ: & tacito murmure fortuna à nobis accusabatur, quæ in comitijs suis alios anteferret. Nam voto etiam nostro, vt hoc nunc edam, in patrio nostro solo exspectabaris: & aliquid allaborasse me scio, sed illâ cæcâ non

fauente. Iam oculos aperuit, honorem tibi non dedit, ſed ſoluit: quo vt diu frui vtriuſque Reipublicæ, ſacræ & profanæ, bono poſſis, Reu^de & Generoſe Domine, intimum meum eſt votum. Deus audiat, & coràm gratulari me aliquando, periculorum ſecurum, ſinat. Louanij, XI. Kal. Febr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXII. *Louanij.*

IO. VERGERIO AVRANO S. D.

ADES, ades cum iſtoc tuo impetu (ita ſcribis) & palàm mihi ingere non honeſti ſtudium tuum ſolum, ſed profectum. Bonâ fide, epiſtola tua iſtum præfert, & ſimul ingenij tui acumen, & à cælo aliquem ignem: quem fateor me amare in iuuentute, & vt ſignum, imò vt ſpõſorem optimi animi habere. Hunc excolamus, mi Vergeri. primùm illis ſapientiæ diuinæ ſtudijs; deinde & ornamentis ſiue adiumentis, quæ huic omnis antiquitas admouit. Subit me delectatio Græcos illos veteres Latinoſque legentem, pietatis noſtræ aſſertores aut propagatores: ſubit interdum (dicendum eſt) & miſeratio, cùm video non pari ſplendore aut dignitate tractari. Age, tu & quibus Deus benigniùs fauit, excitamini, & iungite per imbecillitatem aut imperitiam diſiuncta. Sed ad tuam rem, & ſcriptionem. Conſulis me de epiſtolâ ad Antiſtitem veſtrum. Dicam? bona & arguta eſt, & tale ingenium tuum vbique præfert: hoc induſtria tua addet, vt colorem & phraſim priſcæ eloquentiæ magis ducas. Natura vbi talis, non ambige vel leui operâ de ſucceſſu, modicâ, inquam, conformatione opus, & velut Mercurio, qui digitum in viam intendat. Alij laborent, & imitentur: tu cum Pindaro ſcito, * τὸ δὲ φυᾷ κράτιϛον ἅπαν. Ad ſolum Tullium te vocant: vocent, nec me volente audies; quia Genius aliò trahit. Sicut in humano genere vultus multiformes, & alius aliter pulcher aut decorus eſt: ſic in eloquentiâ ſcito, nec omni induſtriâ pariabunt. Lenis aut mitis aliquorum oratio erit, & vt ſtagnum; aliorum, flumen referet; quorumdam, torrẽtem. Vis vno verbo? ignem, aërem, aquam, terram in ſtilo reperies: vt aliquid horum regimen in corpore & mixtione iſtâ tenet. Hoc fateor, & ſuadeo, connitendum eſſe ad optima, & arte ac ductu quodam adhibito:

**Naturâ quodq; optimum.*

bito: ſed non vt vis Naturę adferatur, & ne fiat, vt veteri prouerbio moneamur, *inuitâ* aliquid *Minerua*. Vbi ſola imitatio eſt, & huic adhæremus: quid fit? perſona ſcænica. & vt quidam magnorum virorum habitum, atque inceſſum, aut geſtus imitantur, cetera & interna diſpares; ſic dictiunculas aut clauſulas aliquas Tullij, ſi fortè, referimus, ad vim & Venerem eius non adſpiramus. Itaque audi magis hæc, etſi magnorum virorum monita, quàm auſculta: ætas tibi dicet, vera me dixiſſe. Tu interea age, quod cœpiſti, & cæleſti iſto liquore perfuſus, ad aquas etiam Heliconias accede; ſed ignem tamen tuum retine, à cælo, à cælo infuſum. Scintillam etiam eius in affectum mei exſere: ego fouebo & augebo in Amicitiæ legitimæ flammam. In Muſæo noſtro, VII. Idus Martias. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXIII.

ILL^mo ET EXCELL^mo *Principi* CAROLO *Duci Croyo & Arſchotano.*

HEVRIA tua (quæ antiquorum Heuerléa eſt) venit ad Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS, politâ manu deſculpta: & qualem aut opere, aut mente, iam deformaſti. O viſendam HEVRIAM, & dignam exteris in imagine & adumbratione etiam oſtendi! Factum eſt tuis auſpicijs: prodit & ſe promit: ſed Tuis primùm oculis, vti par eſt, ſe exhibet, verſu aliquo noſtro obiter inſignita. Neque iſtæ curæ Te nunc dedecent: qui ante octodecim annos, bello & militiâ, REGI PRINCIPIBVSQVE fortem felicemque operam nauaſti: & fidem in illos, caritatem in patriam, pietatem in Deum affatim oſtendiſti. Honeſtum igitur otium ſi exerces, quid mirum eſt? Neque tamen, noſtro voto, diu exerceas: iterumque Patriæ ſubueni, heu, laboranti & imploranti. Deus illam reſpiciat, PRINCIPIBVS TIBIQVE inſpiret bona conſilia, ſimul & facta. Louanij, IX. Kal. Mart. ∞. IↃCIII.

IN HEVRIAM

Illmi Principis Prætorium

CARMEN.

MOESTA ô BELGICA nostra tolle vultus,
Tolle, & lumine lætiore lustra
Magni PRINCIPIS *hoc opus; sacratum*
MVSIS *&* VENERI, *& venustiorum*
Quidquid est hominum. superba gaude
His adaucta Palatijs, & Hortis,
Hisce Fontibus, hisce & Arboretis,
Xystis, Limitibusque, & Ambulacris.
O dispar facies vetustiori!
Antè scabra loca hæc, & absque cultu
Horrida, ardua, iniqua, sabulosa:
Nunc quàm splendida, quàm polita rident!
Ades GRAECIA *tu vetus, vetusque*
Ades ROMA : *mea ecce* BELGICA *audet*
Se conferre. & an ausit anteferre?

EPIST. LXIIII. *Panormum Siciliæ.*

GOMEZIO DE AMESCVA Ictο. S. D.

EGO ad tales litteras, & à tali, sileam? differam, aut contemnam? O vel cogitationem in me iniuriam! & vide quàm hoc factum. Binas tuas, id est, priores ante annum & sesqui datas, alteras ante menses octo, nunc denique accepi, nunc, horulâ antequam istaipsa scribo. Rem dico. in mensâ eram, tuæ dantur, lego, allubesco, manum à cibo ad calamum transfero: est hoc cessare, aut adspernari? Talem dignitatem non debeo, tale ingenium non possum: quod vel vtrauis epistola satis mihi ostendat. Sed in priore affectum tuum promis, & laudes meas tangis: illum toto pectoris ostio admitto, has semiclauso, & vt amicæ proculos illos solent. Velim agnoscere, conscientia mea reijcit,

reijcit, nec niſi cõnatu talem adfirmæ. At tu non quæ edidi ſolùm amas, ſed in futura etiam immines, & aues quæ peperi, & quæ parturio, ſcire. De illis, *Epiſtolæ* meæ vltimæ dicent, quarum *Centurias quinque* pronuper dedi: in ijs vnam, quæ de *Vitâ meâ* eſt, & *Scriptis*. Si tanti eſt, vide. Poſtremum hoc meum opus; mentior: ſucceſſit opella, *De Bibliothecis*, & *Diſpunctio in Italum* quendam, qui proteruè incurrerat, comiter aut & comicè à me reiectus. Non ſum pugnax, ipſa Pacis proles: ſed cadere debebam, niſi leui manu petulcum hunc arietem reieciſſem. De edendis autem, nunc cùm maximè in manibus habebam *L. Annæum Senecam* veſtrum: quidni veſtrum? origine, ingenio, eloquio Hiſpanum aut Hiſpanienſem, & certè æternum tractus illius decus. Hunc auidè & iucundè illuſtrabam, breui Commentario: ſed & ſeorſim *Philoſophiam Stoïcam*; quâ tenebroſâ, fruſtrà facem alluxerim illi. Iuuabat, inquam, hoc opus, quia ſapientiam animo, non ſcientiam ſolùm, infundebat: & mores cum ingenio & linguâ pariter formabat. Si viuo tres quattuor menſes & valeo, ibit in lucem. *Monita & Exempla Politica* affecta etiam habebam: de *Inſtitutione Iuuentutis* libellos tres: *Admiranda Iudaïca, Ægyptiaca, Iberica, Gallica*: tum *Hiſtoriarum compendium*, ſi Deus dabit. Nam nos quidem

Tollimus ingentes animos, & maxima paruo
Tempore molimur:

ſed ille ſtat vitæ laborumque arbiter, & producit, aut incîdit. Ecce ad priorem epiſtolam habes: eſtne aliud? etiam, caput ſcriptionis, ſic ſeriò amantem ſeriò me redamare. Louanij, XVI. Kal. April. ∞ .IↃCIII.

EPIST. LXV. *Madritum.*

BART. LEONARDO ARGENSOLAE. S. P. D.

CERTE frater Lupercij es, & quidem germanus. Quàm vel in amore mei conſpiras? nam de laudibus, omitto: quas dictare iſte potuit, debet pudor meus adſpernari. Sed amorem talibus ingenijs non ego reddam? facio, & tam ex fide, quàm Virtutem & Doctrinam amo: cuius vtriuſque vos veros alumnos in animo laudo & agnoſco. O Hiſpania veſtra ſtirpes has

plures proferat! de quâ tu veriſſimè, ſentire eam longæ Pacis mala, Luxum, Cupidinem, & quæ ſunt aliæ virilium animorum peſtes. Dicam tibi liberè meum ſenſum? ſed * παρὰ δόξαν πολλῶν, ſcio. Nouus orbis victus vos vicit, & inſitum antiquitus robur libauit, aut fregit. Numquam alius fructus mollium diuitiarum fuit: vide omne ævum, & dices. Noſipſi Belgæ quid niſi pœnas iamdiu luimus auiti luxus? & luemus: ita aſtra etiam minantur. Et opes quidem abiuere à nobis, vitia manent: faſtus, laſciuia, & extremum malorum Impietas, quæ Belgas à Belgis diuellit. Nam nos, meo hoc tractu, in religione quidem antiquamus: vtinam cetera ſic puri! Ac de ſtudijs optimarum artium, ante annos aut luſtra aliquid fuit: nunc ſcito, * πάντα ταῦτα ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ ἦν. Poſſunt aliter per continua & infauſta hæc bella? quæ atterunt, non finiunt: nec licet optantibus vel ſemel perire. Benignior Deus aſpiciat,

——qui ſolus opem, qui ſumma medendi
Iura tenet:

& idem me nunc ægrum ſoſpitet, te valentem mi Argenſola ſeruet. Louanij, XV. Kal. April. ∞. IↃCIII.

* *prater multorum ſenſum.*
* *hæc omnia in ioco aut ludibrio eſſe.*

EPIST. LXVI. *Veronam.*

ANDREAE CHIOCCO V. C. *& Doctori Medico* S. M. D.

AMO te de hac vnâ & primâ tuâ ſcriptione, amo mi Chiocce. Quid ita? quia optimum & interiorem tuum animum mihi oſtendit; non mei & doctrinæ tantùm, ſed, quod caput, Virtutis & Sapientiæ amantem. O bona & recta tua in hanc rem iudicia! ô meritas inclamationes in vanos iſtos litteriones!

* *cuiuſmodi plures Nutrit terra hæc nigra impoſtores & agyrtas.*

* οἷά τε πολλοὺς
Βόσκει γαῖα μέλαινα πολυφορέας ἀνθρώπους.

Ego, bono Deo duce (hac parte * εὐδαίμων) ab adoleſcentiâ ſpretæ falſam hanc lucem: ad ſolida iui & ſcriptis meis miſcui, quatenus occaſio aut argumentum fuit. Parabam magis facere, & totus in *Stoïcâ Philoſophiâ* illuſtrandâ, & ab inferis adeò reuocãdâ, eram, ad Senecæ mei lucem: ſed Deus interceſſit, & ſignum (niſi fallor) diſceſſus clarum mihi miſit. Sum quinque iam ſeptimanas

* *beatus.*

manas non in ſolito illo & veteri languore, ſed in pectoris morbo: qui atterit, tabefacit, & vitæ hanc lampada, itemque laborum, alijs tradere impellit.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Muſa:

neque inuitus faciam, nullâ in parte magis Philoſophus, quàm in meditatione hac mortis. Ede illa ipſa, quæ iam affecta, inquies. Ita & alij amici increpant. ſed mihi ſedet Virgilij conſilium, feliciùs patrandum, nihil edi, niſi à viuo me, & manu meâ miſſum, ac perfectum. Ignis edat, quidquid ego non edam. Itaque multa ſub terram feram; eruenda alijs aut tenebris obruenda, non refert: non vixi infructuoſus aut inglorius: & Sapientia ac Virtus viuet,

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri.

Ecce de meo ſenſu. addam de amore in te nouello, ſed ſerio & acri: paucos me è ſcriptis meliores ſimul & doctiores agnouiſſe. Itaque amo, amo. Fas mihi ſit, & vitam & valetudinem ſub tali Imperatore (agnoſcis Medicinæ veteris vocem) agere ac moderari: libens velim, & vel in manibus ac ſinu tuo mori. Plura non poſſum, ſeriò æger. Memoriam mei tibi commendo, & fiduciam amoris quem tuo præſto. Louanij, XVI. Kal. Maijas, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXVII. *Lugd. Bat.*

DOMINICO BAVDIO S. D.

SVAVE ſimul & triſte mihi fuit tuas legere. Suaue, ab affectu in me veteri & fido, & quem ſine fidei hercules iniuriâ non mutes. Nam & ego firmiter & fortiter te amo. Triſte autem, ob caſus aut fraudes quibus iactaris: neque nunc in portu aliquo anchoram ieciſti. O noſtri Bataui, quid agitis? reuelate oculos, & noſcite & admittite, aliter aduocandum. Indignor, & * δάιεται μοι ἦτορ cum Homero, cùm iſta ingenia & artes neglegi aut contemni video, quæ omnibus infulis erant exornanda. Quò imus? ad veterem ſquallorem & tenebras: atque vtinam augur fallam. Eò minus triſte mihi, abire & abiungi: quod morbus

* *ardet mihi pectus.*

nunc

* *vorator.* nunc cùm maximè minabatur. Morbus neſcio quis * ἀδηφάγος,

* ——— ὅτε μάλιστα

* *Qui lue tabificâmi-nuit vires animumq́.*

Τηκεδόνι συνεχῇ μελέων ἐξείλετο θυμόν.

Sed Deus ille, auctor mei, videbit: & alteram ſententiam, vtramcumquè me volente, feret. Adoleſcentem probi oris & ingenij, tinctum optimis artibus, Corn. Van-dalium, libens vidi, & amare non ſolùm fauere cœpi. Creſcant iſtæ ſtirpes felicium arborum, vtinam feliciore æuo! Vale mi Baudi. Louanij, poſtrid. Non. Maijas, ∞ .IↃCIII.

EPIST. LXVIII. *Ipras.*

IIRMIAE PIERSSENAEO Ido S. D.

LITTERAE tuæ mihi pergratę, & magis Carmina, quæ ingenij tui & affectus in me (iſte etiam elucet) monumentum publicaſti. Sed & priuato verſu me compellaſti: ita me Muſæ, ad illarum Genium facto, & quod in ipſo morbo (is me nunc menſes duos habet) leuamen fuit legiſſe. Ah mi Pierſſenæe, quàm alieno à Muſis æuo Muſæa hæc pangis! quàm pauci, non dicam amant, æſtimant, ſed vel ſimulant æſtimare! Trahunt pedibus hæc talia, & vel ſimias pluris, quàm litteratos cenſent. Senecæ dictum vanitatis arguitur: *Numquam ita in virtutes cõiuratum iri, vt non Philoſophiæ nomen ſacrum & venerabile ſit*: ridetur. Ego iampridem hæc ſcio, & ideò tolero, vt ſolemus vetera & familiaria iam mala. Quid Deus Europæ noſtræ deſtinet, neſcio: vtinam ne Honeſtum à nobis auferat, & litteras doctores eius aut præcones. Quæ fama ſine ijs eſt? & ſequitur, *Contemptu famæ, contemni virtutes.* Sed de æuo fruſtrà querar: fatali hæc lege eunt: te magis hortor, animo ſtare, & rectum clauum tenere, vel Neptuno inſaniente. Conſtanter ego facio, nec iudicia hæc aliquid in me mutant, niſi fortaſſe ſcribendi edendiq́; libidinem: quorſum enim iſta imperitis, aut ingratis? Neque tu ſolus oleum & operam perdidiſti in nuncupatione: alij pariter, niſi ſiqui ſint ingenio & ore ferreo ad exprimendum. Age, exſurge, ad meliorem tui partem vertere: atque illa te à terrenis & vilibus ad cælum ducet. Vale mi Pierſſenæe. Louanij, XI. Kal. Iunias, ∞ .IↃCIII. cùm tuas vidi.

EPIST.

EPIST. LXIX.

HENRICO VWENO S. D.

DOLVI discessisse nuper, cùm ipse adueniſſes. Scis (ſine blanditiâ) quàm amore & ſermone tuo delector: in quo iſto, & ſuaue ſemper aliquid & prudens, & probum etiam ac Virtuti amicum. Mi Vwene, hoc caput eſt. hanc niſi amamus & colimus, malo fato venimus in hãc vitam, cum pœnitentiâ aut pœnâ finiendam. Sed heus, an non ego breui finiam? reſcribo enim omnia, quæ ad Robianum noſtrum optatiora vobis ſcripſeram: vt Luna hic morbus eſt, imò plus aliquid quàm illa, nec in ſeptimanas, ſed in dies atque horas mutat. Hoc biduum peſſimè habui; nec voto, ſed opinione tamen, propono mihi meum finem. Melancholia eſt, inquies. Sapientia eſt, & nihil melius quàm crebrâ tali meditatione ducere animum ad cõtemptionem animæ. Multi neceſſitate aut impetu ad eam alacres venerunt. Nihil eſt. non niſi ex iudicio & ratione certa illa tranquillitas oritur, ad quam me compono. A libris abſtineo, vix has litterulas tales ſcribo. Vale mi amice. Louanij, poſtrid. Kal. Iunias, ∞.IↃCIII.

EPIST. LXX.

FRANCISCO SWEERTIO S. D.

VNA cum tuis iniunctas è Germaniâ accepi, à nouo aliquo amatore: cui nunc tamẽ non reſpondeo, & vt puellæ, procanti paullùm me ſubduco. Valetudo nunc non eſt his talibus, varia, & anceps, an & præceps etiam dicam? Interdum cadere mihi, & ire palàm ad finem videor: interdum exoriri, & melius habere. Leuiter fero. *quis enim queri poteſt, ſe in eâ conditione eſſe, in quâ nemo non eſt?* Homo natus ſum; & ex quo natus ſum, ducor ad mortem. Triſte hoc cogitare, inquies. Non mihi. & quid ſi non cogitem? eò minùs ducar? Sicut qui in naui ſunt, dormientes ac vigilantes vehuntur, cum ſenſu, ſine ſenſu: ſic nos eò prouehimur, & aliquando abripimur aut mergimur, velut tempeſtate. Philoſophiæ ſatis eſt. ad Gruterum ſi ſcribis, de valetudine inſperge, & amicam ſalutem adde. Viringo quæ dicta vo-

luisti, factum. Tu me ama; & siquid scitu dignum habebis, fac consortem. Louanij, IIII. Nonas Iunias. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXI. *Leodicum.*

CAROLO BILLE'O, *Equiti, & Ser^mo Electori à Consilijs interioribus.*

DOLOREM, qui animum tuum percutit, mœstus ipse animi audiui: & quamquam amici non desint, quos plures virtus tua & fortuna habet, qui verbis aut litteris solentur; tamen & ego venire in partem volui, & officium meum vel superuacuum offerre. Atque vtinam superuacuum! vtinam ad animum iam compositum verba faciam! quod etsi à prudentiâ tuâ sperem, vix ab affectu, quo illam consortem vitæ & thori meritò es prosecutus. Optima fuit, suauissima fuit, fœcunda mater, sedula liberorum & domus tuæ curator & custos. Quidni in amissâ doleas, & talem, numquam habiturus, desideres? Permittit etiam Sapientia aliquam hanc confusionem & dolorem: sed aliquam. frænat enim mox, & ad rationem reducit, & in eâ tranquillum pacatumq; sistit. Quid enim diu aut immodicè lugeamus, quod non posse, sed debere euenire, præsciuimus? Nã mortalis erat: neque amnis aut perennis aliquis fons, sed torrens, qui impetu currit, & decurrit. Verissima imago est: vide hanc vitam. Collectu humorum aliquo nascimur, raptim cum quo labimur: & alij breuiùs, longiusque progressi, finimus. Atqui triste illud finire. Triste, si verè tale esset: nunc mutamur magis, quàm desinimus, imò nos Christiani, diuinâ clementiâ, in melioré sortem imus. Quis æs aut metallum perire dixerit, cùm liquescit & statua ex eo funditur? Non perit, sed honestatur: & idem in nobis, qui ex informibus & infirmis in splendidam illam imaginem Dei transimus. Itaque abeat dolor: imò lætitia (det mihi veniam affectus tuus) succedat, ipso affectu eò ducente. Nempe amasti illam, & amas? quidni optimè igitur illi esse velis, inter beatas æternasque mentes? Nec tamen tota à te abijt: respice liberos, quos numero tibi, & ex vtroque sexu, reliquit. Habes grandiores, è quibus fulcra & nepotes iam speres: habes minores, è quibus solatia & gaudia, cottidiano occursu & sermone, captes. Hos pectori in-

ri infere, ori interdum admoue: & in iſtis viuere illã, & te affari, non falsò crede. Sed à domo etiam tuâ, ad rempublicam, cui natus & deſtinatus es, redi. Illa altera tua vxor eſt, huic iungeris, nec à curâ eius potes auelli. Hanc amplectere; & magnis illis cogitationibus, affectuum ſcintillas preme, ſiquæ exurgent. Cogita & Principem, tui amantiſſimum, & tui profectò egentem: vince dolorem vt huic vaces, & magnitudinem animi indue ſublimi viro dignam. In theatro poſitus es, conijciuntur in te oculi: ſuſtine perſonam, nec defice circa extremũ hunc velut actum. Quid enim tibi blandiar? vt diutiſſimè viuas (& ita voueo) tamen pauca luſtra ſuperſunt, & ſequêris illam præmiſſam. Ecce, Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, haud magnam, ſed à magno affectu epiſtolam: quem in te & tuos conſtanter ſeruabo, quamdiu Deus in terris me ſeruat. Vale, & illo ipſo faciente, firmare: quod pectore eum rogo. Louanij, VI. Idus Iunias, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXII. *Inſulas.*

IOANNI SEVRIO, *Graphiario in Senatu rationũ Inſulenſi*, S. D.

TITVLVM hunc tibi anteà gratulatus ſum, nunc rem & poſſeſſionem. Fallor enim, aut illic agis: debes meo iudicio; & hoc quoque (verbo olim monitum) conſortem aſſumere, rei & domus tuæ curatorem. Quid in iſtâ ætate differs? Ea labitur, vita labitur: & ſæpè poſt moram pœnitentia ſuccedit, & indignatio; Quare non feci? Fruere annis, ô fugacibus! & ego iam & olim ſenſi; iam maximè, qui multos egi, & præter meminiſſe quid ſeruaui? Aliquid in publicum laboraui fortaſſe: ſed annorum nota, non ipſi exſtant: neque hæc omnia mihi in magno, qui abiens video, NEC TANTI HVMANA eſſe. Epitaphia hæc mea inſcriptio erit, ſi Deus & amici volent: ego iuſſi quidem, nec Timonis aliquo animo, ſed Zenonis. Heus, inquies: etiamnunc de Epitaphio? non conualuiſſe te audimus? Audiſti fortaſſe, & ego tale aliquid nuntiem: ſed quàm infirma hæc firma noſtra ſint, quàm labi nos in ipſo ſtatu faciles, nimis ſum expertus. Blandiens ventus non me inducet, quin tempeſtatem & nimbum mox exſpectem. Extra Philoſophiam, & communi

linguâ: meliusculè, sed ambiguè valeo; & dies, imò horæ pænè, alternant. Tu vt animo inprimis, deinde & corpore valeas, illo me ames vnà cum Remaclo nostro viro optimo, meum est votum. Louanij, III. Idus Iunias, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXIII. *Bruxellam.*

FERDINANDO DE SALINAS, *Consiliario Senatus Principum.*

ABEVNTEM Riuium nostrum, veterrimum è meis discipulis, & addam felicissimi inter eos ingenij & profectus, elogio an testimonio apud te prosequi, animus adegit magis, quàm res exegit. Quid enim apud te opus, qui nosti? qui notum amasti? qui amatum re & beneficentiâ iuuisti? Nec enim me celauit, aut debuit, quâ liberalitate nuper eum affeceris, & ad culmen illud honoris euexeris, quod tibi meritò inscribet. Laudandum te vndique. qui optimas artes ipse colis, cultores alios subleuas, & instar Dei illius, bonus ipse bonos optas, imò facis. Opportunè in hoc æuo, quod talia calcat aut præterit: opportunè in isto eius (Riuium dico) articulo, qui in viâ & salebrâ hærebat, nisi à te eductus. O fac porrò! Vt enim fruges non bonitas soli tantùm gignit, sed cæli Solisque fotus & temperies educit atque elicit: sic ingenia & artes, non à Naturæ tantùm velut solo alenda, sed vestrâ procerum benignitate, & velut cælesti aurâ, fouenda atque attollenda sunt. Certè iste noster per aspera adhuc iactatus, viam non deseruit: spero mitior sors ridebit, & Comici illud expetet,

Fortiter malum qui patitur, idem pòst potitur bonum.

Hoc ego amico meo opto, & te, Nobilis ac Clarme Domine, in virtute tuâ, & comite eius dignitate, diu viuere & vigere. Louanij, prid. Idus Iunias. ∞. IↃCIII.

EPIST.

EPIST. LXXIV. *Romam.*

Io. BAPTISTAE BARONIO *suo.*

VIX posui tuas, & respondeo. Amor in te meus fecit, ille perpetuus (ne ambige) & paternus. Sed ego ipse quàm pæniſſimè nuper defeci? ſteti in extremâ Salutis lineâ, pedem reduxi, & iterùm valere videor, ſed languori etiam vicinus. Fragile vaſculum ſum, vt rem dicam, & fractum audietis, priuſquam frangi. Tu autem Romæ? Neapolim iſſe te tuæ, an Richardoti, mihi ſignificarunt. Sed & manſionis decretum profers, non pro tuorum hîc arbitrio, vt nuper coràm Antuerpiæ audiui. Ego quidem haud diſſentio, & facilè æſtatem hanc tibi donem, ſub Autumnum ſuadeam redire. Non Roma, non Romanus aliquis (Romanam fugio dicere) vltrà teneat: & cùm manes, apud te etiam mane: nec laxa nimis aut diffunde. Vt vinum vigorem & florem ſeruat, ſed clauſum; apertum exhalat: ſic tibi fiet; virtus apud ſecretum manebit, vaneſces ſi vulgaris. Paucis & bonis aſſueſce, atque ijs notis: cètera liber eſto, & præſertim in ſpectionibus illis antiquis. O ſuaues, ô vtiles! mihi ſi liceret, fructum capiam quem non cepi. De Ill^mo Baronio, gaudeo ſic in me eſſe: cùm ſcribam ad eum (ſed materies exſpectanda eſt) per te fiet, atque aliquid etiam de te inſpergam. Publica hîc, vt ſemper ambigua, turbida: voluntas in Britanniâ noui Regis pariter anceps, tecta; & partes noſtræ ſibi, & nos vindicamus. Quies & pax his regni auſpicijs conuenit: ſeruaturum puto, ſaltem temporariam: ego affectum in te, mi Baroni, æternum. Vale. Louanij, Kal. ipſis Quinctilibus, ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXV. *Gandauum.*

MAXAEMYLIANO VRIENDTIO.

LIBROS Carminum tuorum diutulè ante litteras accepi, quas adiunctas tamen fuiſſe ſuſpicor, miſſui illi condimentum. Etſi quo condimento opus ciuſmodi bellarijs? quæ, mihi crede Vriendti, veterem Græciam ac Latium ſapiunt,

ô ſuauia mentibus, quæ melioris doctrinæ guſtum ac ſenſum habent. Illæ quidem hæc tua

Iurent Albano Muſas in monte locutas.

Alia iudicia aſſis ne æſtima, quæ quid ſint Veneres aut Charites neſciunt, & quidquid ad Monetam non facit abſunt laudare. Nos & dilecta ingenia oblectaſti, Belgarum glorię addidiſti:

—— *ſume ſuperbiam*

Quæſitam meritis:

imò non ſume, & in Modeſtiæ finibus ſiſte. quia ſi vlla dona à Deo, iſta ingenij, & maximè vaticinij ſunt: illi adſcribamus, &

Qui dedit hæc hodie, cras ſi volet auferet.

Vt non ille palàm, ętas occultè faciet, & cùm in annis grauis eris, lentitudo & frigus aderit, nec felix ſtili iſte calor. At in me amando maneat, nec vel æuum refrigeret, meo quidem voto, imò & exemplo. Louanij, III. Non. Quinctil. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXVI. *Bruxellam.*

FRANCISCO TREGIANO, BRITANNO V. N.

LITTERAE tuæ, mihi pergratæ, etſi grata & non grata quædam dicunt. Illud diſplicet, in Aulâ te hærere, vbi vada & Syrtes, an & Circe aliqua etiam occurrit? Nec vna, vt fateris: & vides & rides ineptias, qui à vitreâ illâ Deâ alliciuntur, tanguntur, & quid niſi in pecudes, ſi non feras, mutantur? Amadim ſuum, & tales ſcriptores legunt, loquuntur, cogitant: id eſt * φλυαρίας καὶ φλεδονείας meras, an & * διαφθορὰς καὶ ὀλέθρους animorum dicam? Atque hic eſt * ὄλβος, quem illi putant,

* *nugas & ineptias.* * *corruptelas & peſtes.* * *felicitas.*

* —— καὶ χάρις ζωᾶ—
θάλμιος, ἁδυμελεῖ
θ' ἅμα μὲν φόρμιγγι, ϑαμφὼ—
σοισί τ' ἐν ἔντεσιν αὐλῶν.

* *Et gratia vitalis, cũ ſuauiſonâ lyrâ, atque omnium vocum inſtrumẽtis.*

A me abeant, à te etiam, quæſo —— * ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' ἀχαιοί. Fateor varia ſtudia fineſque eſſe, & cum Thebano vate,

* *Achaiæ, non iam Achiui.*

* μία δ' οὐχ ἅπαντας ἅμμε τρέφει
μελέτα:

* *Vna non duos nouerca capit.*

& fateor etiam, optimæ Sapientiæ ſtudium rarum eſſe: ſed tamen ad hoc te voco: ego, an altius ingenium iamdiu tuum? Certè Deus

tè Deus tale dedit: cui si cultus, vt cœpit, accedit, & cursus per viam rectam: quid non sublime & * θαυμαςόν de te spondeamus? Scripta, quæ vidi, asserunt: & hæc facient, quæ videnda iam misisti. De Republicâ nostrâ quæ nuntias, spem quàm rem bonam habent. Sed ista * βραδύτης nostra, quâ sollenniter iam vtimur, quid in bello præsertim magnum pariat? Scio nec * προπέτειαν optabilem aut laudabilem esse: sed tamen maturitatem & quæ Delfinum ancoræ suæ iungat. Fabium in defensione non abnuã; in aggressu Achillem, Alexandrum, Cæsarem præoptẽ. In vestrâ autem * νάσῳ πολυμάλῳ, quid nouus * σκηπτοῦχος faciet? vtrùm * ὁδὸν ὀρθὴν ἢ δίκης ἢ ἀληθείας βαδίσει, ἢ τὴν σκολιὰν ἢ ἀπάτης; Sub initia ægrè dijudices, vbi multa temporibus & hominibus danda, contra animi etiam sensum. Legatum nostrum comiter & (pro more gentis vestræ) splendidè acceptum audio: cetera modò respondeant. quod breui videbimus: & quando ipsum te, mi Tregiane? cui gratias ago debeoque pro narratiunculâ facti admirandi: admirandi, sed & per me in loco ad posteros (meretur enim) propagandi. Vale: & longior eram, nisi auocarer. Louanij, Kal. Sextil. ɔɔ. Iɔcıı.

* Admirabile.

* Tarditas.

* Præcipitantiam.

* Insulâ pecorosâ.

* Sceptriger.

* Rectam viam Iustitiæ & Veritatis ibit, an obliquam fraudis?

EPIST. LXXVII. *Romam.*

IOANNI HEMELARIO *suo.*

HEVS tu, semper te amo, sæpè cogito, rarò scribo: & omnia caussas suas habent. Amor ab amore tuo est, & ab indole optimâ, quam semper in te vidi, & magis excultam, & virtuti assertam, magis amo; cogitatio ab eodem; scriptio rarior ab occupatiunculis, itemque à valetudine, ita me Deus, tenui & negotijs non subsistente. Otium & quietem flagitat, non solùm poscit. Vnius te monui olim, & moneo: in hac ætate vigente & floridâ, plusculum animi & fiduciæ sume: & te atque alios item noris: te, qui sis; qui non sint, illos. Neq; ad elationem voco, quam odi portis inferni deteriùs, cum Homero hoc dicam: sed ad animi iustum mediumque tenorem, in quo virtus. Rubenium meum vides? modestia ipsa est: animum? scit cæleste aliquid se esse, & lucere debere, atque eò contendit. Hominem te Deus fecit, nec ex istâ ingeniorum plebe: cur ordinem deseras, & subsellia potiùs

tiùs quàm ſellam curulem eas inſeſſum? Non meo voto aut iudicio facies: erige te,& pietate volente,ſidus in hoc mundo eſto. Genus vitæ elegiſſe Sacrum ſcribis. Semper te eò deſtinaui, & gaudeo ſpem meam affirmaſſe. Ego alta cogito, alta: id eſt cælum,quò me languores perpetui iſti ducunt, non enim trahunt. At tu valetudinem integratam gratularis. Falſus es. non eſt quæ fuit,neque erit: ſed viuimus tamen, & metæ vicini non tam reduximus, quàm frænauimus præcipitem gradum. Abire etiam non metus aut mora eſt: à prauis, à turbidis. & Deus ferreo ſæculo me incluſit,& quod mitius metallum non ſpondet. Publica eunt,vti conſilia ſunt: nam Fata iniuſtè accuſemus. Vale mi optime Hemelari,& amande ſemper anima. Louanij, XIII. Kal. Septembr. ∞.IↃCIII.

EPIST. LXXVIII. *Peruſium.*

M. ANTONIO BONCIARIO S. D.

LITTERAS tuas,amorem & elegantiam ſpirantes, accepi,& animo caras fuiſſe, libens profiteor ac teſtor. Nam amari à nobis Italiam, quis neſcit? & viros certè, ſiqui in eâ, vetere & nuperâ etiam illâ Italiâ,exhibent ſe dignos. Tu ille es mi Bonciari. quod epiſtola tua mihi dicit, vna nec diffuſa, fateor: ſed vt Coloſſi magnitudo vel in breui ſigillo ſe oſtendit; ſic ingenium & doctrina etiam in tenui & extemporaneo ſcripto. Itaque & ab hac cauſsâ te amo: quid cùm Bencium meum, qui heu fuit, velut auſpicé amicitiæ adhibes: quomodo non vltrò me in vincula iſta donem? Facio ſeriò: hoc præfatus tãtùm,amare me iuxtà tecum, aut ſuprà, poſſe: paria officijs aut ſcriptionibus vix poſſe. quia & ſæpè ita diſtringor,vt non liceat; & langueo etiam, vt non libeat hæc vſurpare. At,vt dixi,amabo, & id iudicio: cerciore illo, quàm tu in laudes meas iuiſti, quas inerrare auribus meis patior,ſed non in longum, notitiâ mei reuocãte & abnuente. Sicut tamen Stratocles, opinor, olim Athenienſibus cùm res proſperas nuntiaſſet falsò: increpãtibus deinde dixit,Quid enim mali ſi meâ operâ biduum lætiores egiſtis?tale aliquid mihi euenire fateor,& breui lętitiâ perfundi elogiorum talium;ſed breui, & perfundi. Ego nunc totus in *Stoĩcis & Senecâ* eram,poſt ancipitem

pitem ſanè morbum: & breui illa videbitis, ſi mea Parca menſes etiam aliquot parcit. Tu vale, Vir inter paucos mihi deinceps amande, atque æſtimande. Louanij, XII. Kal. Septembr. ∞. IↃCIII. ſtatim à tuis litteris acceptis.

EPIST. LXXIX. *Neapolim.*

IVLIO CAESARI CARACCIOLO S. D.

ILLME DOMINE, Litteras tuas accepi, & generoſam indolem, & beniuolentiam in me ſpirantes. Gauiſus ſum. nam animum meum ſeriò afficit, cùm vos è ſtirpe nobili & altâ, dignos eâ video, & non incumbentes maiorum famæ tantùm, ſed à ſe tradere & propagare eam aptos. Fatemur ſanè, vt à radice & ſtirpe bonâ fructus tales, ſic à nobili ſemine germina talia exſpectanda eſſe: ſed quanto optabilius ſpectare, quàm exſpectare? In te ego video, qui iam olim optimis artibus, & quę ad Honorem & Virtutem ducant, imbutus, perſeueras eaſdem colere, atque eos etiam amare & ęſtimare qui colunt. Hęc res me tibi conciliauit, & locis diſſitũ coniunxit; affectu quidem. nam vt corporibus, non datur, non dabitur, vt mea quidẽ valetudo eſt, haud facta ad peregrinandum, imò nec ad diurnandũ. Annis graues non ſumus, ſed laboribus feſſi aut fracti ſumus: & reſpicimus exitum, vt ij ſolent, qui in cuſtodiâ moleſtiore tenẽtur. Nil circa nos, niſi bella & turbæ: & inter diſpares agimus, quod liberè & verè apud te profitemur. Scripſi iamnunc ad ANNAEVM SENECAM, & Stoïcam totã Philoſophiam libaui: eo certè fructu, vt mihi robur impreſſerim, dum alijs idem paro. Sicut in naui qui transfert & vehit, idem vehitur: ſic mihi factum in Scriptore, quem natum ſeruatumque cenſeo bono generis humani. Vale Illme Domine, & Honeſta ac me ama. Louanij, Nonis Septembr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXX. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO V. R.

REDITVM ego & ſalutem ex animo tibi gratulor, belli & morbi periculis euoluto. Vtinam de patriâ ſic loqui liceat! quid loqui? vtinam ſperare! Sed heu, vndique * ἀτυχήματα, eò * *Infortunia.*

triſtiora, quia cauſſam [a] δυσβυλίαν noſtram, an [b] ἀβουλίαν, habent. Illa nuper ad Hoochſtratam, quàm [c] ἐπονείδιστα? iſta ad Buſcumducis quàm [d] ὀλέθρια? Et hoſti quantum accedet, nobis decedet eâ captâ, quiſquis planè [e] ἄφρων non eſt, videt. Ego tibi de me fateor, [f] ἀθύμως ἔχειν, cùm continuas iſtas [g] δυσπραξίας video: & nec erigi quidem noſtros ad emendandum. Conſiliorum eandem viam imus, frigemus, tardamus, & planè [h] καθάπερ ὑπὸ μανδραγόρου καθεύδομεν. Mi Pantine, fato premimur: [i] τό γε μόρσιμον, οὐ φευκτὸν: ergo alia curemus. Quid? ego animum & me, à Senecâ: quem iam denique paro edere, & Stoïcam illam [k] ζοφώδη doctrinam in lucem redegi, [l] οὐκ ἀπόνως. Intricata res: peruici. *Veſtam* non diſplicuiſſe, gaudeo: nec miror eius cultori. Vale V. R^de & æternùm care. Louanij, IIII. Idus Septemb. ∞. IↃCIII.

[a] *Mala cõſilia.*
[b] *Nulla cõſilia.*
[c] *Pudenda.*
[d] *Exitialia.*
[e] *Mentis expers.*
[f] *Diffidere.*
[g] *Malos euentus.*
[h] *Tãquam ſub mandragorâ iacemus.*
[i] *Fatale, nõ vitabile.*
[k] *Nebuloſam.*
[l] *Non ſine labore.*

EPIST. LXXXI. *Brugas.*

IANO LERNVTIO *ſemper-ſuo.*

LONGAM, liberam, & verè amicam tuam epiſtolam: & omnibus his nominibus, inprimis ipſo Lernutij, gratam. Amplector te, ſed animo: brachijs ſi poſſim, & ore adfari, quàm omnia in notæ fidei ſinum hunc effundam? quàm me reuelem, & quidquid in aumario pectoris huius condo? Nunc quoque in parte faciam, ſed parciùs: & ſcis chartæ non omnia tutò credi. Audi à principio, veſtigia epiſtolæ tuæ legentem. Commendas primò Robertum Schilderum: dignum, & ex ſermone agnoui. Adoleſcens eſt mente & ſtudijs bonus, & qui ad optimas artes pleno gradu incedit. Quàm pauci noſtratium cum ipſo! quàm ludibrio aut contemptui eſt nomen hoc omne litterarum? Vides mecum & doles, feres etiam vt fortes decet. Melioratibi ne ſponde: ad vltimas inſcitiæ lineas imus. Intereà tamen nos aliquid etiam pangimus, & in litore iſto ſulcos ducimus: quo priuatim aut publicè fructu, non habeo adfirmare. Imò bellè tibi eſt, inquis. Non peſſimè, fateor. ſi de magnis opibus aut gratiâ præſumpſiſti; muta, medij in iſtis ſumus. Vultus aut ſermo quorumdam arridet: qui capiunt pauci ſunt, & quod ſequitur, ſeriò ament. Vnum tibi dicam, interpretare. filios ſi habeam, litterulas me auctore non diſcant. Addis in epiſtolâ de meis

quædam,

quædam,& putas,liberè. Non liberè, ſed amicè & decorè: atque obſecro aliàs vſurpa. Scribis in Politicis cetera exacti operis videri,abeſſe de Legatis. Verum eſt, & poterat locus ijs eſſe inter Adminiſtros. Sed quia temporaneum hoc munus (olim quidem) neque illi apud Principes aut Reſpublicas perpetui; abſtinui dicere: & quia rem totam iſtam non maximi vſus cenſeo, quidquid aliter iudicare hodie conſenſerunt. Et in Notis tamen dicere deſtinaram, ac collecta iſta habeo: ſed augendi aut recolendi eas animus abiuit. Ais dein de Epiſtolis meis, & de vnâ illâ * inſertâ. Quid diſſimulem? rem tetigiſti,ambitiuncula mea fuit,& quæſita gratia illius, qui in aperto nondum mihi rettulit, nec referet,vt tecum quoque opinor. Quid tamen eſt? benignitas mea orbi innoteſcat, & quàm æqui in aliena ingenia ſimus, etiam fortaſſe ſuper æquum. Non mihi fit: fiet aliquando, & confide Genio noſtro, viuet ac vincet. De annis ætatis meæ cauillari etiam quoſdam. Quid hoc eſt, & qui poſſunt? In illâ de vitâ,palàm & verè ſcripſi tali anno & menſe me natum: calculatore non opus ad hoc æui,quot eos inſcribam. Sicubi autem alia aut * aberrans ſcriptio,non memini, nec puto: ſi tamen, emendetur. Item de valetudinis crebris querelis, riſum habet. Ab alijs etiam audio: atqui, ô boni, miſerationem debebat. Non facimus maiora iſta verbis; res vtinam non clamet,vtinam non ipſa ſcripta colorem ab affecto animo & corpore ducant! Hoc fine, & excuſandi mei,interdum inſero: quid ſi etiam contra importunos,& irrumpentes iſtas muſcas? Hæc ſcribere, hæc facere me volunt, ſuadent, iubent: arripio illam ægida, & rationem qui non audiunt, hoc ſcuto terrente depello. Sed cogitent etiam, ſeorſim & apud plures non iniuſtè dicta: quæ nunc in vno faſce adſpecta faſtidium habent, nec leguntur vt diuiſa. At de Buſbequij morte, ſcio errorem: ſed adnotabitur. & tamen famam Epiſtolæ, non hiſtoriam iui inſertum. Eſtne aliud? propria etiam tua,ſed amica,ſed iuſta (agnoſco) querela, de primis libris meis non ſemper ad te miſſis. Gaudeo requirere & poſcere, & culpam excuſare nolo,ſed emendare. Habes hîc *Epiſtolas*: habebis *Politica*,quæ iam recuduntur. Habebis & magnum *Senecam*: in quem vtinam dignum aliquid moliti ſimus! *Stoïcam* tamen *doctrinam* ſeorſim illuſtrauimus,& ipſum breuibus Notis,&(In-

* *Editur alibi* XVIII. *Kal. Nouembr. pro* XV.

uidia audiat) alibi bonis. Omnibus placere, nec ſpero, nec opto quidem: mihi hoc opus vnâ cauſsâ, quòd fortiorem aut meliorem me fecit. Salue, & ama me ex animo, qui eo tuus ſum, mi anime. Louanij, XI. Kal. Octobr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXXII.

I. LIPSIVS IOANNI WOVERIO *ſuo* S. D.

FELICITER, acclamo, mi Woueri: vtinam præſens poſſem! Sed vel ſic abſens facio, & corde itero: nemo magis ex illo. Equidem iamdiu tibi felicem talem copulam deſtinabam, & merenti: vt tua probitas & modeſtia, atque etiam ingenij & morum elegantia eſt, quâ vel imperitos meliorum tuarum artium & partium ad te ducas. Benè eſt, habes. Nam de dote, vberem audio; de parentibus, honeſtiſſimos; de ipsâ aliquid ipſe dixerim, & probè memoriâ teneo vidiſſe. Suauis mihi viſa, morata, proba: ſi nihil horum eſſet, apud te fiat. Iungere, fruere, & nouellas ſtirpes, paruulos Wouerios, nobis pange. At me quòd velut auſpicem nuptijs tuis optas, vereor vt fiat. Mea *ad Senecam* iam mitto Antuerpiam: ipſe venire imminente hieme, & attenuante valetudine, diſſuadeor. Sed venio, non venio, mente & cogitatione adero: teque & tuam, mi Woueri, tam fideliter amabo, quàm æternum Numen me velim. Id porrò cœpta tua ſecundet, & ferente aurâ in portu votorum tuorum noſtrorumque ſiſtat. Vale mi optime. Louanij, v. Kal. Octobr. poſtridie quàm Bruxellâ redij, vbi dies duos modò hæſi.

EPIST. LXXXIII. *Bruxellam.*

ÆGIDIO MARTINIO *Syndico ciuitatis Bruxellenſis.*

EPISTOLAM tuam fateor gratam mihi fuiſſe, ſicut & ſermonem, quem tecum ante menſes duos circiter in hac vrbe ſerebam. Vt enim in iſto prudentia tua, & erga me ac parentem olim meum affectus, elucebat, ac iure capiebat: ita in litteris hæc ipſa exprimis, ſi nõ clariùs, certè firmiùs, quanto conceptæ ſcriptioni maior eſſe fides & auctoritas, quàm extemporali ſermocinationi ſolet. Itaque meritò & rependo affectum tibi, &

bi,& in filium etiam, quem hîc habes, deriuo: quem si non cauſſam, tamen occaſionem huic amicitiæ noſtræ dediſſe, videor poſſe affirmare. Enimuerò quid officij manare à me propriè in te poſſit, vix video: in filium fortaſſis aliquid, quem in hanc Academiam, velut ad mercatum optimarum artium, miſiſti: & dirigere hîc eum, atque etiam inſtruere, pro otij & virium mearum copiâ,aliquid poſſum, & volo. Ciuem enim patriæ amantem me profiteor: cui quid ampliùs conferre aut commodare poſſum,quàm vt liberos cùm ipſe non habeam,alienos, & præſertim veſtros talium,qui aliquando ad rempublicam admouendi ſunt, formem ad eam ac concinnem? Adnitar equidem,aut potiùs tot annos iam adniſus ſum,quà ſcribendo, quà docendo conatus meliorem & doctiorem reddere iuuentutem. Is enim, Deo teſte,laborum meorum finis ſcopuſque eſt: & Fama ſi ſequitur,non magis huic laborauimus, quàm is qui in Sole currit,vmbræ cauſsâ id facit. Sed de filio tuo, tantò libentiùs manum illi porrigam,quò magis beniuolentiæ tuæ nunc debeo; & quia ingenium atque indoles etiam eius inuitant, ad bonum honeſtumque facta. Gaude in tuâ ſtirpe,& ſolatia inter afflictæ patriæ turbas, è domo tuâ magis magisque (Deum ita precor) cape. Eumdem, Vir Clariſs^me & Prud^me, vt te reipublicę,cui laudabiliter operam præbes, incolumem ſeruet. Louanij, v. Kal. Octobr. ∞. Iociii.

EPIST. LXXXIV. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO *ſuo.*

ET quando magis te meum oſtendiſti, quàm in hoc *Euchariſtico*? à cuius lectione duplex affectus me habuit, lætitia & pudor. Lætitia iterùm duplex. vel quia laudabar à te. gratum autem & optabile placere ijs, qui ipſi nobis placent: vel quia ſic laudabar, id eſt ſcitè, doctè, diſertè. Hæc enim qui in ſcripto tuo non agnoſcit, aut liuor aut ſtupor eum habet, & in veruecum patriam à nobis relegetur. Quàm inuentiunculę multæ raræ,& argutæ ſunt! quàm imagines ſepoſitæ, & tamen appoſitæ! quàm ipſe ſtilus ſine tumore altus, ſine affectatione eruditus! Mihi hæc ſic viſa,fateor; & placuerunt omnia, præter ar-

gumentum. Nam quòd me laudandum ſumpſiſti, quî laudem? Pudor ille retinet, quem dixi: qui etiamnunc habet, & pugnat iudicio, & tua cùm amem, damno. Non ſum ille quem facis, & in ſublimi ſic locas: deſcendo, & conſcientia me detrahit, & nemo meliùs quàm ipſe me noui. Quid tamen eſt? cùm tua relego, pudor iterùm pænè exſulat, & videor aliquis eſſe, quia tam fortiter & impreſsè vis eſſe. Ita ſentis quæ dicis, ita tibi approbas, vt me quoque in partes trahas, & credere adigas, quæ nec credo. Non plenè quidem credo. nam tangere te interiores meos affectus, qui de proximo noſti, non diffiteor: & laudabiles conatus exprimere, ſi non ſucceſſus. Omnia cur reijciam?

——aliquem mens ſpirat honorem
Conſcia factorum.

Nam vt candidè tecum, & ſenili quadam libertate loquar, dona habui & exſerui, quæ non omnes mei ſtudij aut æui. Iudicium inprimis Deo acceptum refero, & ab eo ordinem in ſcribendo & diſpoſitionem, vel paucis veterum vbique ſic vſurpatum. In ſparsâ quauis & confusâ materiâ ſeruaui, & partiri ſemper aptè ſtudui: quod Socrates alibi apud Platonem *diuini viri* cenſet, ego *diuini doni*. Et ab eo donum alterum adſcribo, Eloquentiam: quæ in ſermone aut ſtilo aliqua fuit, atque ea facilis & profluens: quod in ſtrictâ & argutâ breuitate nec habeat quiuis, nec credat. Illa ipſa breuitas, quod impuro, ſine tenebris fuit: & multa paucis ſic dixi, vt influant & ſe diffundant, & vel plura videar dixiſſe. At tertium & præcipuum, quod iudicij, ingenij, eloquij, ſtili quidquid in me fuit, in publicum contuli, & vſui, non pompæ, volui ſeruire. Vide mea vel à iuuenilibus annis, ſemper ſcintillæ aliquæ ad Virtutem aut Prudentiam prælucentes: ſemper animus ille apertus, amans generoſi & honeſti. At grandior paullò, non iam occulto aut obliquo tramite, ſed palàm & rectà illuc iui. Ego ad Sapientiam primus vel ſolus mei æui Muſas conuerti: ego è Philologiâ Philoſophiam feci. Vide *Conſtantiam* meam, dicet: vide *Politica*, idem: & hoc vtrumque opus eſt, cui vita fortaſſe cum Latinis litteris manebit. Quid in *Tacito*, *Plinio*, *Epiſtolis*, *Militiâ*, *Admirandis*, *Senecâ*, nónne finis idem & fructus apparet? Hęc ſunt, quæ in cenſum, ſed non à me defero: ingratus ſim, niſi diuina dona agnoſcam, & gloriam ab

ijs

ijs etiam tribuam auctori. Sed ecce longiùs eo: scriptum tuum remittere tantùm, & cum vero elogio volebam: de me siquid addidi, apud te licuit, mei sic immodicè amantem. Louanij, III. Nonas Nouembr. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXXV. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOIMIERIO.

LITTERAS quas daturum me dixeram ad Buissonium, ecce hîc habes. Mittere eas tuæ curæ erit, quam vltrò tibi imposuisti, pro affectu quem in illum & me habes. In me certè, nuper in sermone largiter declarasti: & si non verba, ipse vultus & oculi tui feciſſent fidem. Etsi quid ambigerem? eadem vterque amamus, id est Bona & Honesta: ex quo sequitur & adhæret, vt inter nos etiam amemus. Senecæ nostri dictum est, è Porticu promptum: *Inter bonos viros amicitiam esse, Deo conciliante.* Est ea veritas. Deus, imò & natura, facilè iungunt, studijs & voluntatibus iam iunctos. Itaque sicut credidi promptè & libens de tuo in me affectu, velim te pariter de meo: quem bonum, fidum, atque etiam firmum reperies, nec nisi cùm ego soluar soluendum. Id fortasse breui, vt ætas & valetudo mea sunt: tamen nec paruus circulus minus perfectionis quàm magnus habet, nec Amicitia tempore, sed veritate æstimatur. Vale mi Ploimieri. Louanij, VI. Kal. xbris. ∞. IↃCIII.

EPIST. LXXXVI. *Lutetiam.*

SEBASTIANO ROLLIARDO Ictο.

BRVXELLAE & in Aulâ eram (ô sedem pro Lipsio!) cùm tuas accepi. Gratas, suaues: quid opus me affirmare? semper vegesco, & velut efflorescο, cùm aliquid à meo Rolliardo. Atquin & libelli tui adiuncti, dona Musarum: ille de Passertio, bonus, & pius, ac manibus eius ritè ac meritò à te factum. Vbi hodierna gratitudo? quid autem in mortuis speremus? vix viuis aliqua manuum applosio, & vocis fauentia: & irrisus aut pastoritiæ σιέλιγγες excipiunt, & à tergo manus motæ. Ferenda hæc omnia, pro æui Genio, aut iter hoc famę deferendum. Nuper ego

aliquid

aliquid *de Vestâ*: probare te gaudeo, etsi melius illud iam damus, & addimus quædam, & mutamus peccata ἐξ ἀπεφοιξίας. Etiam *Porticus Sophiam*, in duo volumina distinctam: sed tenue & argutum opus, & aliquis dicat χελιδόνων μισοῦα. Æuo nostro obtinent iudicia, quæ olim calcata; & scis quàm diuersa tota hęc studiorum via. Sed tamen Senecæ caussâ id quoque exantlandum fuit: feci, & gaudeo factum. Quod à vestro Autocratore vocatum me, & perhonestè, censes: ita est. nec tamen audiuimus, & à patriâ, in hac ætate atque imbecillitate, nemo me commoueat,

** Non mihi si donet, quantum est cumpulvere arena.*

* Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Apud te seriò dico. Labet hæc patria nostra, siue ruat: ego cum illâ ad discriminis aut fati metas eo. Ad easdem illas, & vltrà, te mi Rolliarde optime & doctissime amo. Louanij, VIII. Kal. Febr. ∞. IↃCIIII.

EPIST. LXXXVII. *Florentiam.*

CVRTIO PICHENAE.

ALTERAS tuas vidi, & Inscriptionem veterem adiunctam, fide exscriptam: sanè bonam & rerum veterum, de quâ iudicium meum ad Mercurialem vestrum iam perscripsi. Marcelli honori non esse positam opinabar, sed Caij aut Lucij Cæsarum: quò ratio magis, & æuum ibi notatum ducit. Felices vos in talibus istis curis, in altâ & beatâ pace: nos litui circumstrepunt, & in ipsâ hac studiorum sede, arma & miles. Tædet temporum; & nisi Philosophia subleuet, iamdiu iaceam, & in parentis magnæ sinu recondar. In Tacitum aliquid à te promiseras hisce Nundinis: librarius Syllabus negat, & nomen tuum non ostendit. Ego *de Vestâ* nuper aliquid, & nunc melius vberiusque damus: item *Stoïcam Philosophiam* sex libris comprehensam. noli erigi, non est pro vestrâ Aulâ. Spinæ sunt, aut Paradoxa: & in re fortassis alta, in specie non videntur. Senecam adiungimus, & hoc fine Antuerpiam imus. de quo sic iudicare te, gratum mihi neque inopinatum fuit. Quæ bona mens aliter potest? ego autem etsi propiùs te, nec nisi ex scriptis, haud noui: tamen tam scio de sensibus tuis, quàm de meis, pænè dicam. Vides quid mihi vindi-

vindicem? nec fallet me ſcriptorum tuorum character, in quo probitas & iudicij rectitudo comparent. Pauca verba facio, quia ab equi lapſu ſaucius & æger: ama me, ſeriò & conſtanter idem facturum. Louanij, III. Kal. Febr. ∞. IↃCIIII.

EPIST. LXXXVIII. *Veronam.*

FRANCISCO POLAE Iᵈᵒ *ex animo* S. *optat.*

TV verò Vir Clᵐᵉ non prouocas me ad amicitiam, ſed adigis: nec amore ſolùm (cui meum quî negem?) ſed iudicijs & beneficijs: ſic enim *Elogia* tua iure debeo interpretari. Legi, amaui magis quàm probaui: nam quomodo tam honeſta, vel magnifica potiùs, de me & ingenio meo poſſim? Mi Pola, veteres haud temerè Amori oculos clauſerunt: affectu, non iudicio, videt: & habet pulchra atque haberi vult, quæ ipſe cenſet. At ſæpè fallitur: & tamen vel ſic amandus eſt, quia ex ſenſu ſuo & candore, ſine malâ fraude, agit. Tu verò is es, qui iudicio alibi & in alijs præſtes, imò etiam in grauioribus cauſſis præeas: ſed verecundia mea & modeſtia ſequi cunctantur & retractant, & de me ad me appellant. Quid tamen facio? quid ipſe reſiſto, & te ſiſto? quin vela potiùs affectui tuo pando, & adſpiro: & ama vel falſis me cauſſis, dum ames. Hoc valdè cupio: de reliquis ætas ſequés dicet, quæ Gratiæ aut Inuidiæ expers, ingenijs ſuum cuique pretium rependet. Ego affectui tuo ſerium affectum: per Genium Famæ iuro. Louanij, prid. Kal. Febr. ∞. IↃCIIII.

EPIST. LXXXIX. *Valentianas.*

HENRICO D'OVLTREMANNO V. C. S. D.

DII deæque, tuos verſus! ſtupui ſimul, & rubui: illud in ingenio tuo, ſic acuto, ſic vario; iſtud in laudibus, quas ſupra modum is in me effuſum. Non me fallis, ô amice: fontem à te, non à me habent: id eſt ab affectu tuo, non merito Lipſiano. Sed benè tamen, quòd verſus ſunt: & vel eo titulo præſcribant, fidem non promitti. Ego aliquid ſubitò in eos luſi, & hîc habebis: ſed vix verſus. ita humiles ſunt, & languidùm incedunt, vt vel recto oculo tuos vix auſint inſpicere. Antuerpiæ iam fuiſ-

sem, nisi casus me tenuisset, & verè casus. Equuleum ex dono habeo, quo vehi soleo ad exercendum & ambulandum; alienis scilicet pedibus, ætate iam grauiore. Ille meus vector mecum lapsus est, & crus & tibiam, sed leuiter, adflixit. Ita domus me habet, non tamen lectus: & cùm iste, tum *Exsequias Lipsio licet ire.* adeò quies mihi inimica est, & gaudeo ac viuo motu. Bruxellæ etiam fui, & vidi Comitem Stabuli Castellæ, Principem iam olim in me affectum. Item in litteras. quas vtinam Deus & Æuum coli magis velint, quàm tristem hunc Martem! Sed heus, ecce Versus

* * * * *

Iam place tibi in tuis bonis, qui tam malos meos vides. Quæris quod è tam magnâ tuorum copiâ approbem imagini nostræ subscribi? istud, nec voto melius optari potest.

LIPSIADAE, *velum est Timantis, imago. videri*
Non nisi sub piceâ Sol quoque nube potest.

Hoc mihi & Modestię meę amicum, vt omittam argutissimam inuentiunculã. cetera bona, aut optima: sed Inuidiam habeant, me quidem viuo. Ne prouocemus: inter nos amemus, seriò, acriter, constanter. Louanij, Kalendis Februarijs, ∞. IↃCIIII.

EPIST. XC. *Perusiam.*

M. ANTONIO BONCIARIO S. *corde* D.

QVAS natali meo ad me dedisti litteras accepi, etsi seriùs, imò tardiùs: neque enim serò ad me aut frustrà tam amicæ litterę possint peruenire. Amaui te meritò, vt primùm ex epistolâ & te, & affectum in me noui: & magis amare cogor, quò propiùs certiusque (Virtus hoc habet) noui. Nam & epistola hæc certè, optimi & pulcherrimi animi index, delectauit: & Carmen tuum ad DIVAM LAVRETANAM valdè opinionem de te meam auxit. An non faceret sic eleganter, doctè, altè, piè scriptum? Atque ipso tempore venit, quo ego in pari argumento eram, aut potiùs summam illi manum iam imponebam. Nam & ego, mi Bonciari, peculiari semper in Matrem-Virginem cultu & affectu, DIVAM HALLENSEM scripsi, & beneficia

cia eius ac miracula partim ſolutâ, partim ſtrictâ oratione, ſum complexus. Nihil exſpecta ad tuum Carmen: aliquid ad animum, quo erga Diuam nolo vinci. De *Senecâ* etiã meo breui arbitraberis, fecerímne pretium operæ poſt Muretum, & Gruterum, & alios: quod profectò, vt rectè iudicas, arduum ſit nec alicuius è populo præſtare. Non me attollo, nec debeo: ſed aliquid contuliſſe in Sapientiæ illum patrem, res, ſpero, apud te dicet. Libens autem (vt ad tuas iterùm litteras) legi de Carolo Emanuele Pio à Sabaudiâ, ſtirpe & ingenio & ſtudio illuſtriſſimo adoleſcente: quem quòd erga me etiam affici ſcribis, gaudeo, & in beneficij loco hoc pono. A te, an ab illo accepti? nam & te iudicio aut teſtimonio aliquid contuliſſe, vel ad eliciendum, vel ad augendum affectum, pænè habeo perſuaſum. Etſi talis illa indoles ſponte etiam amat, & ſurgit ad complectendos, in quibus Honeſti aliquas flammulas videt. Vt perſeueret, à me eum roga, & mutuum facere affirma. Vt tu pariter, mi Bonciari, rogatus eſto, ô inter paucos Italiæ tuæ lumen. Louanij, XIIII. Kal. Mart. ∞. IↃCIIII.

EPIST. XCI. *Veronam.*

ANDREAE CHIOCCO S. D.

AMOREM tuum variè & ἀφθόνως oſtendis, neque vlla epiſtola à te eſt, in quâ non illum nudum videam & expreſſum: idq; ſine colore aut fuco. Non redamẽ te? ſic facio, vt Deum me velim: & Deum ipſum teſtor. Scripſi ad te ante dies quindecim: & iterùm debeo, vel Bonciarij noſtri cauſsâ. Quàm ille de me benignè & * μεγαλείως? nimis, & vellem in publico temperaſſet. Nondum eò venimus, vt Sol noſter vmbram non habeat, & claritas aliqua non liuoris nubem. Sed ille verò fortiter, tamquam ego ſim * πανύπτερος ἐν ὄρνισιν αἰετός: quod non eius amori, non tuo etiam credam. Nam & tu hîc * ὑπὲρ τὴν ἀξίαν, & ad extrema laudum iuiſti, me non ſequente, & in terrâ etiam meâ hærente. Non ſum aut ero ille * ὀφθαλμήνης. Sed ad ipſum Bonciarium ſcripſi, iam è litteris ad me & famâ notum, & certè à niueo iſto pectore (vt doctrinam omittam) amandum. Nec tu arbitrare de alijs Italis qui melioris & priſci, vt ſic dicam, ſanguinis ſunt, me

* *magnificè.*

* *lati-penna in auibus aquila.*
* *ſuper meritum.*
* *qui cælum tangit.*

dubitare. Fuerit vnus ille neſcio quis hybrida, qui proteruiter in me immerentem: ſed ab alijs quidni affectum exſpectem & expoſcam etiam, quem ſcriptis dictisque meis omnibus in eos oſtendi? Dabunt, & dabo: & creſcentes iſtos ingenij flores mutuo fauore irrigabimus potiùs, quã liuore amburemus. De * tecum ſentio: acre ingenium, iudicium eſt vbi deſideres, & addo maturitatem. Stemma illud, tuo commodo, vidiſſe velim. Ego pluſcula nunc edo, *Ad Senecã* Notas perpetuas; item *Diuam Halenſem*, miraculis apud nos claram; item *Monita & Exempla Politica* libros duos, in guſtum; item De *Magnitudine Hebræa* libros quattuor. Quid ais? ceſſauimus hac hieme? Cum tuo autem Pindaro, χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς ϛείχοντα μάρναϑ φυᾷ. Vale Vir Clme & æternùm meus. Louanij, prid. Idus Mart. ∞.IↃCIIII.

De Illmo veſtro nuper ad te, nunc ecce ad illum. At tu Flaminium noſtrum Valerinum à me amplectere, & grates gratias proſcito Epigrãmatio redde. Coràm ego hoc facere ἱκνοῦμαι ἥτορ.

EPIST. XCII. *Lutetiam.*

Io. VERGERIO AVRANO S. M. D.

GAVDIVM mihi ab aduentu tuo, & felici itineris metâ; ſed maius gaudium ab affectu, quem purum & magnum in me oſtendis. Et accipio equidem, & ſine retractatione admitto. vel quia candorem tuum noui; vel quia à meo metior, qui talis talem poſcit. Nihil mihi das, ſed ſoluis. Perſeuera tantùm, & ipſum me, non quæ alij de me, vide. Ille * * cur mihi infenſus, vel certè aduerſus ſit, neſcio: nõ meruiſſe, hoc ſcio, & vt alia mihi detrahat, virum bonum ſciat, & candidatum bonarum artium ac veræ Philoſophiæ, neque aliud iacto. O miſeri, quò rapimur ad æmulatiunculas aut calumnias, in alios Lynceï, in nos Homeri? Mi Vergeri, hoc inprimis vitare te hortor & rogo, in alios inquirere, te negligere: contrà fiat, benigni in omnes, ſeueri vel aſperi in nos ſimus. Socratis præceptum vetus erat:

* Aedibus in proprijs, quid rectũ aliud ſuggeratur?

Ὅ', τι τοι ἐν μεγάρῳσι κακὸν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται;

Hodie contrà fit, & emiſſitios omnes oculos habemus. At illi, vt volent, iudicent: ego in viâ rectâ conſtanter ambulo, ab æmulatione, ab ambitione prauâ auerſus, & quò debeo verſus, id eſt ad Sapien-

Sapientiam & Deum. De ipsâ Galliâ, scis quàm amem: sed non hos nouitios libros, quos mittis, leuium & exsultantium ingeniorum fœtus. Nihil in iis solidi, maturi, aut, non dicam vetere, sed nuperâ Galliâ digni. MILES ille quidem palàm *φρενεῖ, ἢ παντάπασι λυρεῖ. Alia de illo audieram: sed cùm legi, errorem meum, furorem illius vidi. A Thuano ipso Historiâ exspecto, vetere amico nostro, & tum arbitrabor. De doctrinâ vel industriâ, non ambigo: sed, vt hoc æuum est, rarâ quadam prudentiâ opus ad placendum, vel potiùs non displicẽdum. Sed qui sapit, posteritati etiã scribit. Nos in languore, plus solito, sumus: sed te, mi Vergeri, & acre tuum ingeniũ non languidè amamus: fac mihi idem, vel eo nomine merenti. Louanij, VII. Kal. Iul. ∞. IↃCIIII.

* *dementit, aut omninò insanit.*

EPIST. XCIII. *Lutetiam.*

ABRAHAMO BIBRANO *Equiti Silesio.*

ANTE paucas horas tuas accepi; vide quàm gratas: differre in diem responsum non potui, & animus adegit statim reponere & pariare. Pariare inquam, ab affectu quidẽ: quem puto me non tuo magis, quàm meritis & huic indoli debere; addã etiam industriæ, à quâ magna ego quidẽ spero. Delectat in animo, cùm video Germaniam sic excoli, & has velut faces accendi, quæ magis magisq; illustrabunt. Perge amice, & me vel opinione futuri oblecta: nam rem vt videam, vix in valetudine hac sperem, quæ præcipitat, non iam labitur aut labat. Non sunt verba: tristior vobis fama vereor vt dicat. Nimirum eundum est, & faciendũ quod facere nati sumus. Benè, si non omnis mei sub terras memoria ibit. Viuat in vobis amicis aliqua; in te mi Bibrane, quem in hoc album nunc adscribo. Lapidem quem mittis, vidi cum admiratione aliquâ, & rarum, perrarum, exteris Regibus sic poni. Vix tamen est, vt suppositurit, nisi doctior aliqua manus: nec credo. Tamen ambiguum etiam reddunt, quæ in historiâ haud certa vndique notas: & examinanda sunt, neque temerè & de plano sententiam feram. Illud de plano promitto, amicum te mihi nouum, sed carũ esse: perseueremus quod cœpimus, constanter. Louanij, XVI. Kal. Sextil. ∞. IↃCIIII.

EPIST. XCIV. *Burdigalam.*

I. LIPSIVS PETRO BRACHIO S. D.

O GRATVM mihi de te, quid ab ipso te? audire: quem ego quidem fuisse arbitrabar, & in beatis iam locis cum Amatâ tuâ perennare. Nam anni duodecim & vltrà sunt, cùm silentium à te fuit, nec nisi memoriâ Brachius apud me vixit. At epistola hęc tua amica, larga, elegans, te, amorem, ingenium, omnia viuere & vigere ostendit: atque vt diu sit, à propitio Numine veneror & precibus quæso. In me certè, idem amor tui: non vires aut ingenium, quæ fuerunt: & hac parte ruere me sentio, nec gradu sed cursu ad metam ire. Itaque & scripta hæc mea (non enim cessamus) senile illud & effætum fortasse afferent: nec tu me cense flumen perenne (vt scribis) & inexhaustam fæcunditatem esse. Do manus, & Valetudo vt corpus, sic animum libat: non tamen Sapientiæ illa decreta, quæ firma in ipso hęrent. Dedi STOICA quædam nuper, & nunc SENECAM ipsum: haberes à me, nisi interualla hæc terrarum impediant, & beneficium meum ex impendio onus reddant. Tuos equidem versus libens viderim: & vis sincerè? libentissimè Epistolas, quibus in tuâ linguâ vix est vt politius, & sine affectatione, maturâ quadam elegantiâ & alacritate suauius prodeat. Ita censeo. & à me, scio, quos melior Deus tali animo donauit. Hæc nunc pauca, in occasione mittendi subitâ: at via facta est, sæpè commeemus. Me quidem & Iustitia adigit diligere sic diligentem. Vale V. C. Louanij, XVI. Kal. Sextil. ∞. IↃCIIII.

EPIST. XCV. *Insulas.*

IOANNI SEVRIO S. D.

FRATREM tuum vidi, litteras tuas vidi: illum & istas per-gratas. Casu incidit, vt cursor adesset ab Aulâ, qui dimittendus cum litteris fuit; & fratri non potuerim dare tempus, quod largum esse affectus meus volebat. Neque enim de eo ambige. sum constans in amore, cuius causa & solum, vt sic dicam, firmum est: superstruximus, & ædificium nimbus aut procella quælibet

quælibet non euertet. Silui, fateor, etiam tu, ſed amor in animo eſt, & cogitationibus ſuſcitatur & viuit. Hoc mihi factum, certò ſcito: & de te idem ſpero, non cùm ero ſolùm, ſed cùm hîc non ero, id eſt verè ero. STOICA noſtra vidiſſe te video: ſed lege vt ſemina aliqua Bonæ Mentis, non vt totam meſſem colligas, & Æuum noſti. Noſti & valetudinem meam? languemus: Decreta bona ſunt, & fortaſſe Iudicia: ſed promere omnia, & decorè producere, illa (Valetudo, inquam) & alia quædam vetant. Vno verbo, volo quæ non poſſum. At tu faſtidire mihi in munere tuo videris, quod alij multi ambiunt: quid cauſſæ eſt? Si me audis, quietem ſpecta, & illi aliquod fulcrum: cole deinde animum, & quę amas ama. Homines ſumus, multos imò omnes ſeruitus aliqua alligat, catenâ aureâ ſiue ferreâ, ſed ligat. Nemo animum. ille emicat, & euolat, & orbis terrarum ei eſt anguſtus. Cogita, in libertate es: & pone teneriores illas cogitationes, quas Imbecillitas aut Ambitio dictant. Ad morem vulgi ſi reſpicis, nuſquam in tranquillo eris: appetes, aut faſtidies: ad Naturam, id eſt Rationem, ſi te vertis, vbique portus & quies oſtenditur; intra & nauim ſiſte. Hæc nunc breuiter. Seneca meus plura dicet, ſed ipſe. nam ego breuis fui, nec vllo in ſcripto minùs libuit diffundi aut euagari. Cùm illum examino, quid addi poteſt? à nobis nihil, niſi aliquid ad lucem: ab Epicteto multum, quem tu robur & fulcrum iunge. Vale mi Seuri. Louanij, IX. Kal. Sextil. ∞. IↃCIIII.

EPIST. XCVI. *Neapolim:*

D. IO. ANDREAE PROCHNICIO *Legato Ser^mi Regis Poloniæ.*

BONA fide fatebor, litteris tuis ſic candidè & calidè ſcriptis, motum aliquem animi me ſenſiſſe, & ipſum quoque incenſum eſſe ad redamandũ, & affectum reponendum, quem Iuſtitiæ quadam lege debebam. Quid enim æquius, verius, quàm amare qui amat, & quod ſponte ac Naturæ quadam lege debemus (homo enim ſociale animal) promptiùs fideliusque præſtare, altero inuitante? Inuitas enim me, Ill^me Domine, auttrahis potiùs, eoipſo quo te oſtendis. id eſt, dona animi atque ingenij

tui

tui exſeris,quę vbertim magnus ille Deus in te contulit atque effudit. Non amem te appetentem? ſi nolis amem, modò vt norim: & vltrò faciam, quod te video feciſſe. Itaq; manus offero & iungo: parum eſt: offero animum & Vulcanio modo iungo, atque amicitiam ineo, non niſi cùm ſoluar, ſoluendā. Veteres illi aſtrorum quædam defluuia conciliare nos volebant: ego ad morum conſenſionem ingeniorumq́; veriùs referam, aut certè propiùs: & qui eadem atq; honeſta volunt, neceſſum eſt vt inter ſe etiam velint, atque ament. O quàm ego illum Honeſti ardorem veſtigijs litterarum tuarum colligo! beatus es, & inſiſte, eoipſo præmium habiturus, quo amas. Me autem etiam amas, quia in ijſdem ſenſibus tecum putas: nec vanè, ſi de conatu vides: quia tendo ad optima, etſi multa retrahunt, & valetudo inprimis, quę à viginti iam annis votiua non fuit. O quoties in viâ iam aut curſu retardauit, & ad optima pergentem, mihi alijsque vtilia, deſiſtere coëgit & reduxit! Nunc magis, quàm anteà: cùm ętas ingrauaſcit, & illa incumbit; ego ſuccumbo, etſi animo reluctor, & illo ſolo ſto etiam & ſuſtento. At tu, quæ tua benignitas eſt, medicinam etiam promittis: quam auidè accipio, non equidem vitæ auidus, ſed vt munera ſaltē mea fungi poſſim, dum viuo. Nam nunc profectò langueo, & in illis etiam deficio. atque vt artifex peritus, ſi citharam pulſat fidibus ſolutam aut diſſonam, artem quidem tenet, non exercet: ſic mihi fit, qui ſcio quæ non exſero, & animum attollentem ſe corpus deſerit, aut humo affligit. Ignoſce tu, & alij: inprimis autem, ſi ſponte amaſti me, nunc reſpondenti hoc perſeuera & præſta: & me inter eos numera, quos ex aſſe (Deum teſtem aduoco) tuos dicas. Amicitia hæc, vt mundus, initium habuerit, non etiam finem. Vale Ill^me & Reu^me Domine. Louanij, VI. Kal. Sextil. ∞.IↃCIIII.

EPIST. XCVII.

EVSTATHIO WOLOVICZIO V. R. & N. *Lithuano.*

NVMQVAM mihi grata eueniant, niſi grata epiſtola tua obuenit. Quid ita? quia ſic amanter ſcripta, quia ab homine è longinquis illis oris miſſa, ad quas vel LIPSI nomen peruenifſe multum ſit, quid affectum dicam? Nam de æſtimatione & laudi-

laudibus,tibi remitto:etſi nec eæ ingratæ,fateor. quia nec irridere,nec palpari te ſcio: ergo amare. Naim iſte,iſte affectus, eſt pater earum laudum . Velſero etiam noſtro , inter multa, hoc debeo: qui pararium ſe & conciliatorem interpoſuit honeſti noſtri amoris . Cuius viri vſum-fructum pænè equidem tibi inuideo: in quo theſaurum earum rerum habes,quæ homini ingenuo appetendæ ſint,vel amandæ.

——*illo ſe pectore multa vetuſtas*
Condidit, & maior collectis viribus exit:

vetuſtas, inquã, vel artium vel morum: & vtroque titulo in Europâ noſtrâ claret. Sed de me, venio in amorem tui candidè,firmiter : & vis ſponſionem ? Demetrium Solikouium (ô virum magnum!) in ijs locis amiſi : veni in locum , amabo vt amaui. Vltrà non poſſum: ſi placet,reſponde. Munera, quæ ad me mittere ſcribis, nondũ vidi: & via longiuſcula eſt: ego ad te DIVAM meam HALLENSEM,amicitiæ teſſeram: & ſic admitte. Vale & me ama , cùm ero: memento, cùm non ero. Louanij, III. Kal. Sextil. ∞. IↃCIIII.

Litteras adiunxi à populari tuo, qui hîc nunc agit, ſic rogante.

EPIST. XCVIII. *Auguſtam.*

MARCO VELSERO.

IN laudes meas nuper ibas,& STOICA noſtra,faciebas ADMIRANDA: nondum in accepti Codicẽ retuli;expungere licet,ſi pœnites: & vereor,cùm legeris,iam feciſſe. Primus aſpectus,vt in multis,ſolet imponere: illa æuum ferunt, quæ ad manum relata poſſunt placere. Sed vtcumque eſt,animus meus vobis, & mihi materies illa placuit : hoc etiam , quòd abſolui, & labore, ſuprà quàm credat vulgus,ſum defunctus. E latebris illa mihi educenda,& morosè diſponenda fuerunt, vt corpus doctrinæ facerem: & ſic tamen (hanc legem mihi dixeram) vt nihil niſi ad Senecæ lucem præcipuè eſſet. Sed edidi: abeant, & famam , quam Deus & Genius dabunt, habeant. ſecurus ſcriptorum ſum, vt anxius ſcribendorum. En hîc ad Wolouiczium , operâ tuâ noſtrum: tu autem merito tuo ſemper. Louanij,III. Kal. Sextil. ∞. IↃCIIII.

EPIST. XCIX. *Mechliniam.*

NICOLAO OVDARTO.

SILENTII mei cauſſa, quòd DIVAM noſtram exſpectabam, ſvnà mittendam: ſed operæ morantur, & tuum deſiderium non fert moram, & ſcire vis de valetudine noſtrâ. Cape non læta, mi Oudarte: & ea quoque ſilentij cauſſa. Tres menſes iam, & ex quo vltimùm te vidi, ſum in aſſiduo languore: nec releuor, etſi omnia conatus. Vires abeunt animi & corporis: & ad marcorem, hydropem, an vtrumque imus? Vt Deo viſum erit: nam de viâ parum eſt, modò ad optatam metam, id eſt ad ipſum. Corpuſculum hoc eſt, vt putre & caducum ædificium: ſæpè fulſi & ſuſtinui, vndique nunc labat: & cogitandum eſt, nō quî ſeruem, ſed quî exeam. Dolet de *Senecâ*, quòd vltimam manum non licet imponere: atque illa eſt quæ decorem dat, & conſummat. Hæc ita ſcribo, non quia deſperem me poſſe reſurgere; ſed quia expedit ſic opinari, & præſumere quidquid hominem manet. Nauta in tempeſtate, & cùm mors ante oculos, omnia tamẽ facit, & fracto etiã velo aut malo nauigat: idem ego, facio faciamque omnia, & Deo euentum & me permittam. Is te mi optime & amiciſſime Oudarte poſt me ſeruet, quod mihi ſolatium & altera pænè vita erit. Louanij, III. Nonas Sextil. ∞. IↃCIIII.

EPIST. C. *Antuerpiam.*

I. LIPSIVS IOANNI WOVERIO *ſuo* S. D.

SILVI ad tuas nuper: neque rei multum erat, de quâ reſcirem; & ego languidus, vel cum illâ iuſtè ſileam. Vt tibi dicam, non me reficio, nec in veterem ſtatum gradumque repono: neque valdè nitor aut cupio, vt id quoque liberè promam. Quid opus eſt? ſi annos computo, ſatis diu vixi; ſi famam, ſatis; ſi voluptatem aut moleſtias, illam guſtaui & his ſatur ſum:

Cur non, vt vitæ plenus conuiua, recedam?

Si etiam ea, quæ vitæ meæ genus & profeſſionem ſpectant, intueor; piget videre quæ video, & tempus, antequam alia video, abire. Litteræ vanitas fiunt; malignitas, acerbitas, pugnæ fiunt:

vides

vides cottidiana, & à magnis, exempla. Remedium quî demus? ne consilium quidem, aut monitum: partes & religio intercedunt. Tu Modestia, tu Sapientia, quid nisi nomen estis? Atqui & ego prouocor in hunc campum, & publici iam libelli volant. quid censes? spectaculum me fore? Ingenuus sum, & nullum auctoramentum ducet ad hos ludos. Neronis potiùs mihi votum illud sit, *Nescire litteras*. Reum me facere aliquis potest, nemo nocentem: & ad loquendum cùm iniuria prouocet, arcet & cohibet non ratio solùm, sed natura. Ego ita sum, faciliùs culpā quàm proteruiam admisero; & damnari, quàm malo more vindicari. Scilicet ego rescripto meo alogias aliis excutiam; scilicet me maiorem aut meliorem, quàm sim, faciam, & posteritati iudiciorum legem aut modum donem. Nugæ. & si à magnitudine animi aliquid sumendum sit, iactare me malo, quàm defendere. Ego inter mei sæculi ingenia gloriam, si non palmam, fero: & hoc amicis meis volentibus dicam, confitentibus etiam qui non amici. Et ab aliquot libellis, siue etiam epistolis, æstimemur: sanæ doctrinæ, & fortasse eloquentiæ sumus, nec à melioris æui laude nimium segregandi. Quorsum ista? familiariter, & apud amicum: denique *glorioſa est virtus*, ait quispiam, *nec ostendit se solùm, sed ingerit*. Ad rem redeo: neque viuere nunc valdè appeto, & pugnare etiam fugio, in quemcumque, à quacumque caussâ. Cùm volumus, initia à nostrâ manu sunt; cùm cœpimus, non est finis, & extra lineas res abit. Quisquis aliter, ipse viderit. æui prioris euentus adhuc me docuit, neque scripta ista perenn are, neque scriptores in gloriâ esse: & malo apud posteros modesti, quàm acris ingenij, censeri. At tu amicū me, vt semper, cense mi Woueri. Louanij, VI. Idus Maijas. ∞. IↃCV.

APPROBATIO.

Hic liber Epistolarum Clarissimi quondam IVSTI LIPSI *diligenter examinatus, nihil repertus est habere contra fidem Catholicam, aut bonos mores. poterit ergo ad multorum vtilitatem imprimi. Quod testor 20. Decemb. 1606.*

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis,&c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquam inter alia,quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in litteris liberalibusque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur, vt tanquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant, qui diligentem iis ipſis in litteris ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo ſcribendo lumina præferant, eosque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare, ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Litteris poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, peruenisſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire fit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animandum magis patrocinioque noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcumque fraudē, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum,

aut

aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines, triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve hæredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, hæredibúſve tuis, auxilio Magiſtratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici; alter verò ſemiſſis, tibi hæredibúſve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti; Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Mtis proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. Mtis in cerâ rubrâ.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis,* IVSTI LIPSI *Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcumque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ,* XIV. *Febr.* M. D. XCVII.

Signat.

Verreycken.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari priuilegio ſanxit, nequis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines,* IVSTI LIPSI, *quos vel hactenus edidit, vel in poſterum editurus eſt libros, excudere intra decennium præter voluntatem ipſius poſſit. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, ter mille florenorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Pariſiis,* XIII. *Iulij,* M. DC. V.

Signat.

Perrochel.

TIbi IOANNES MORETE, pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti EPISTOLARVM mearum CENTVRIAS typis tuis excudas ac diuulges. Ne quis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Reges dixerunt.

Iuſtus Lipſius.